Lad




<36631981030013


IOANN. ANDR. PLANERI
PROF. PVBL. IN ACAD. VITEMBERGENSI

EPISTOLAE ENTHYMEMATICAE SIVE EXTEMPORALES

CVM
INDICIBVS ACCVRATIS EPISTOLARVM
CICERONIS, PLINII, BVCHNERI, SCHVRZFLEISCHII



VITEMBERGAE
GODOFR. ZIMMERMANNVM
cIↄ Iↄcc xv.



SVMMI

SENATVS ECCLESIASTICI

DRESDENSIS

PRAESIDI

EMINENTISSIMO,

ET

ASSESSORIBVS

SPLENDIDISSIMIS:

ILLVSTRISSIMO,

REVERENDISSIMIS, MAGNIFICISQVE

DOMINIS:

DOMINO
GOTTHELFIO
FRIDERICO
A
SCHOENBERG,
POTENTISSIMO REGI
POLONIARVM
AC
SERENISSIMO PRINCIPI
ELECTOR. SAX.
A CONSILIIS SANCTIORIBVS,
VT ET
SVMMI PROVOCATIONVM
TRIBVNALIS PRAESIDI
EXCELLENTISSIMO,
DYNASTAE
CLIENTELARVM:
TREBITII, BIBERSTEINII, SVPERIORIS
INFERIORISQVE LVCCEVITII,
BVCCOVII, ET RAHNSDORFII;

DOMINO
SAM. BENEDICTO
CARPZOVIO,
THEOLOGO
EMINENTISSIMO,
CONCIONATORI DRESDENSI
AVLICO PRIMARIO;

DOMINO
IOANNI GEORGIO
BOERNERO,
JCTO,
CONSILIARIO
AVLICO;

DOMINO

ANDREAE BAYERO,

JCTO,

DOMINO

CHRISTOPHORO SCHRADERO,

THEOLOGO

CONSVMMATISSIMO,

DIOECESEOS DRESDENSIS

ANTISTITI:

MAECENATIBVS SVIS

GRATIOSISSIMIS,

SACRVM.

DOMINI GRATIOSISSIMI,

REdit ad Vos, quod, post DEVM, unice Vobis debeo. Vestro enim beneficio et uixi, et literas etiam colui. Accedunt ornamenta, quibus me affectum benigne uoluistis. Hinc uitam, literas, uitaeque dignitatem Vobis accepta fero. Vnum est, de quo cum fortuna conquerar, quod tantis Vestris in me meritis nunquam uidear respondere posse. Quod cum ita sit, memoria tamen illorum sempiterna haud displicebit. Huiusque cum fidem obligo, tum leuidensi pignore confirmo

INCLYTISSIMIS
NOMINIBVS VESTRIS

Vitembergae,
Kalendis Iuniis,
CIϽ IϽCC VI.

deuotissimus

Io. Andreas Planerus.

LECTORI BENEVOLO

S.

QVod ſtudium olim perplacuit, idem nequedum diſplicere coepit. Quare identidem ad amoenitates priſtinas reuertimur, quibus laborum ſeria temperemus. Inde condimenta repetimus, quibus praeſentis difficultatem ſtudii ſolemur. De quibus ut neſcio quid prodamus, aſſidua quorundam hortatio effecit. Hac proinde inducti quaedam, ſuperiore tempore recitata, publicamus. Quae ſi tibi, LECTOR BENEVOLE, probabuntur, plura in poſterum expectabis. Vale.



LIBER PRIMVS,

CONTINENS INSTITVTIONEM ENTHYMEMATICAM.

I.

PRaecepta condant alii: nobis ſtatutum eſt exemplis potiſſimum docere. Sed tamen praecipiemus nihilominus, ſi qua ab aliis praeterita, ceterum in primis neceſſaria videbuntur. Haec enimuero ad Enthymema pertinent, qua concinnandis epiſtolis inſeruit. Quod quidem, pro ratione inſtituti, breuiter proponemus, eique tractationi cum diſpoſitiones Enthymematicas generales, tum exempla eiusdem generis, ex formulis loquendi Ciceronianis magno ſtudio contexta, ſubiiciemus.

II. Epiſtola eſt oratio ad abſentem, aut quaſi abſentem, de rebus neceſſariis, aut iucundis.

Epiſtola ad abſentem uſitatiſſimo etiam uerbo literae appellatur: ſed miſſa ad quaſi abſentem olim dicta eſt codicilli, de quibus codicillis Seneca ep. LXV ad Lucilium: *Video te, mi Lucili, cum maxime audio: adeo tecum ſum, ut dubitem, an incipiam non epiſtolas, ſed codicillos tibi ſcribere.*

III. Eſt autem expeditiſſima ſcribendae epiſtolae ratio, quae per Enthymema inſtituitur. Iam Enthymema eſt nihil aliud, quam argumentatio, quae ex uno pronunciato concludit alterum. Habet itaque Enthymema partes duas, eaedemque Antecedens, et Conſequens nominantur. Atque hae partes fere ipſam epiſtolam ordinant. Fere, inquam. Nec enim eſt omnis epiſtola enthymematica. Quemadmodum in rebus aliis, ita in hoc loco integrum, ac licitum aliquando artem diſſimulare. Immo tantummodo illa multis epiſtola probatur, quae vel nullum omnino habeat ordinem, uel certe occultet potius, quam oſtendat. Veruntamen hoc genus exercitatis magis, quam diſcentibus commendandum. Ceterum peritis diſpoſitionem ab natura potius, quam ab arte petere licebit, et eum ſequi ordinem, quem conſilium, non praeceptio dictabit. His uel confuſio nonnunquam placeat, ſaltem ut uiciſſitudo delectet. Contra proficientibus ordo in perpetuum ſit propoſitus, idemque enthymematicus, quippe extemporalis exercitationis fundamentum.

IV. En-

IV. Enthymema dictum est argumentatio. Argumentatio autem quaeuis ex aetiologia propositionem, ex causa effectum concludit. Causa sigillatim in Enthymemate Antecedens, effectus Consequens appellatur. Illud enim priore, hoc posteriore loco ponitur, aut profecto debet. Si quando autem id non accidit, iam non Enthymema datur amplius, sed Chria, aut, sicut quibusdam uidetur, Enthymema inuersum. Atqui tale Enthymema proprie non est Enthymema. Nam neque est argumentatio, nec partes Enthymematis complectitur. Tota ratio, uis, ac natura argumentationis in iusta partium collocatione consistit. Tametsi uero et Chriae in epistolis, idque propter magnam dispositionis libertatem, locus est: nobis tamen in eo solum stat cura, ut Enthymema, ut literas pariter Enthymematicas exponamus.

V. Enthymema autem est uarium, ac multiplex: unum inuentionis, dispositionis alterum. Sed ut Enthymema inuentionis in epistolis in primis elucet, ita nobis unice erit curae. Etenim epistola, propter breuitatem suam, Enthymema dispositionis tantum non abhorret. Cuiusmodi Enthymema erit, si afferatur causa, cur siue transeamus ab uno ad aliud; siue aliquid aut prorsus reiiciamus, aut in alium locum, tempusue; siue orationem ad principium reuocemus; siue eandem praecidamus. Qualia Enthymemata quo rectius intelligantur,

nonnulla inferius exempla illorum afferemus. Prius enim uidendum de inuentionis Enthymematis, quorum aliud docens, aliud amplificans appellare placet. Atque amplificans, tanquam et ipſum in literis infrequens, uel leuiter attigiſſe ſufficiat. De eo autem hoc unum monemus, eſſe uel digresſionis, uel amplians, uel exempli, uel teſtimonii, uel correctionis, uel praeteritionis, uel epiphonematicum: quorum omnium exempla ſuo patebunt loco.

VI. Contra Enthymema docens praecipue exponendum, quippe utramque faciens paginam. Variat autem et ipſum, atque genera tria comprehendit, quae uiſum eſt nobis appellare Enthymema Fundamentale, Probans, et Inſinuans. Atque in hiſce in primis Enthymematum formis explicandis elaborandum. Fundamentale, ſicut omnis orationis eſt fundamentum, ita latius, quam epiſtola, patet. Nec enim minus orationi ad praeſentes, quam ad abſentes congruit, eſtque primum in quauis oratione. Proinde aliud oratorium, aliud epiſtolicum dixeris. Neutrum differt ab altero, niſi quod in re oratoria formae quaedam paulo aliae, quam in arte epiſtolica cernantur. Namque, cum in oratione occurrant, neceſſe ſit, Enthymemata panegyrica, parentatoria, accuſatoria, inauguralia, in literis haec nomina uix audiuntur. Quapropter nec alia, quam eiusmodi Enthymemata Fundamentalia in arte noſtra locum pos-

posſident, quæ uel ſolas epiſtolas diſtinguunt, uel iis, perinde ut orationibus, conueniunt.

VII. Iam Enthymema Fundamentale Epiſtolicum eſt, quod epiſtolae fundamentum iacit. Eo ipſo eſt primo inueniendum loco. Hoc autem modo inuenitur. Quaeratur aetiologia generalis, hoc eſt, ſic comparata, ut materiis omnibus, atque exemplis formae alicuius epiſtolicae, exempli cauſa, Petitoriae, Gratulatoriae, accommodari poſſit. Iam autem reperitur huiusmodi aetiologia in unico cauſarum loco, et ſpeciatim a cauſa efficiente impellente, eademque externa, ducitur. Externa, inquam, non interna. Cauſa etenim intrinſecus inducens non Fundamentale Enthymema, ſed Probans ingreditur: eſtque nihil aliud, niſi affectus quidam animi, exempli gratia: amor, beneuolentia, dolor, ſpes, metus, miſericordia. Econtrario cauſa extrinſecus impellens eſt, e. g. in epiſtolis Petitoriis indigentia; in Gratulatoriis felicitas; in Conſolatoriis calamitas; in Gratiarum actoriis beneficium; in Nunciatoriis res noua. Hae, et conſimiles aetiologiae igitur ſunt Antecedentia Enthymematum Fundamentalium. Sunt enim omnes petitae e loco cauſae efficientis, extrinſecus impellentis. Deinde ſic ſunt affectae, ut ſingulae ſingulas epiſtolarum formas fundent, atque conſtituant, omnibusque ſingularum ſpecierum epiſtolicarum caſibus, materiisque congruant, ac reſpondeant. Quod aliter fit cum cauſa impellente interna, ſeu affectu animi, ut-

pote qui aetiologiam ſpecialem miniſtrat, non omnibus congruentem exemplis, neque talem, ut primo loco inueniri poſſit, ac debeat. Cauſa quippe extrinſecus mouens praecedat, neceſſum eſt, reliqua argumenta omnia. Nam et ipſum epiſtolae nomen aperit, et adeo ſimul oſtendit, ex quibus locis aetiologiae probantes accerſi debeant. Exempli cauſa, ſi cuius rei ſubeſt indigentia, ultro nomen Petitionis, atque adeo ipſius epiſtolae ſuccurrit: ſi quid boni alicui euenerit, gratulandum ipſi eſſe, ſtatim iudicamus. Quo facto aetiologiae probantes, quorſum et cauſae intrinſecus inducentes pertinent, facili occurrent negotio. Conſtat proinde, quid Antecedens ſit Fundamentale, et quod prius ſit argumentis ceteris, atque adeo ipſa etiam cauſa interna commouente. Mouens enim externa primo omnium praeſto ſit, oportet: tum interna animo obuerſetur. Ita neceſſe eſt, ut prius rei cuiuspiam inopia animum ſubeat, quam utaris argumento, ab alterius beneuolentia deſumpto: item, quam rei neceſſitatem, utilitatem, et alia demonſtres. Conſequens Enthymematis Fundamentalis eſt ipſa epiſtolae propoſitio, eidem cognominis, et ex Antecedente Enthymematis Fundamentalis per ſe fluens, ut eſt in epiſtolis Petitoriis Petitio, in Gratulatoriis Gratulatio, in Conſolantibus Solatium, in Gratiarum actoriis Gratiarum actio, in Nunciatoriis Nunciatio.

IIX.

IIX. Quae dicta quo exemplis uiuant, horum copiam ex epistolis Ciceronis ad Famil. adscribemus. L. III, ep. 2. *Mihi cum imperio in prouinciam proficisci necesse est. A te maximopere pro nostra summa coniunctione, tuaque singulari humanitate, etiam atque etiam peto, ac quaeso, ut, quibuscunque rebus poteris (poteris autem plurimis) prospicias, et consulas rationibus meis.* V, 1. *Existimaram, pro mutuo inter nos animo, et pro reconciliata gratia, neque me absentem ludibrio laesum iri, nec Metellum fratrem, ob dictum, capite, ac fortunis per te oppugnatum iri. Quae quoniam nec ratione, nec maiorum nostrorum clementia administrastis, non erit mirandum, si uos poenitebit.* V, 9. *Mihi consilium captum iam diu est. Quare tu, si simul placebit, statim ad me uenies: sin idem placebit, atque eodem, nec continuo poteris, omnia tibi ut nota sint, faciam.* VII, 12. *Indicauit mihi Pansa meus, Epicureum te esse factum. Quare, si plane a nobis deficis, moleste fero.* VII, 14. *Valde iam lautus es, qui grauere literas ad me dare, homini praesertim prope domestico. Illud quidem perlibenter audiui ex eodem Chrysippo, te esse Caesari familiarem: sed me hercule mallem, id quod erat aequius, de tuis rebus ex tuis literis quam saepissime cognoscere.* VII, 19. *Itaque ut primum Velia nauigare coepi, institui Topica Aristotelea conscribere. Eum librum tibi misi Rhegio, scriptum, quam planissime res illa scribi potuit.* X, 3. *Nunc me, amantissimum tui, nemini concedentem, qui tibi uetustate necessitudinis potior possit esse, si audies,*

omnem tibi reliquae uitae dignitatem ex optimo reip. ſtatu acquires. Incumbe per deós immortales in eam curam, et cogitationem, quae tibi ſummam dignitatem, et gloriam afferat. 4. *Quare, ſi aut aliter ſentirem, certe admonitio tua me reprimere; aut, ſi dubitarem, hortatio impellere poſſet, ut id ſequerer, quod tu optimum putares. Quare hoc unum tibi perſuade, quantum uerbis eniti, conſilio prouidere, auctoritate monere potuero, hoc omne reip. ſemper futurum.* XI, 2. *Scribitur nobis, magnam ueteranorum multitudinem Romam conueniſſe iam, et ad Kal. Iunias futuram multo maiorem. Quare petimus a te, facias nos certiores uoluntatis tuae in nos: putesne, nos tutos fore in tanta frequentia ueteranorum.* XI, 16. L. *Lamia praeturam petit. Quapropter perſuade tibi, mi Brute, me petere praeturam.* Item. *Nunc ſi me tanti facis, quanti certe facis, quando equitum centurias tenes, in quibus regnas, mitte ad Lupum noſtrum, ut is nobis eas centurias conficiat.* 17. *Petit praeturam. Velim igitur, mi Brute, tibi perſuadeas, nihil me maiore ſtudio a te petere.* XIV, 10. *Quid fieri placeret, ſcripſi ad Pomponium, ſerius, quam oportuit. De ea re, et de ceteris rebus, quamprimum uelim nobis literas mittas.* XVI, 1. *Paulo facilius putaui poſſe me ferre deſiderium tui; ſed plane non fero. Tu autem hoc tibi perſuade, ſi commodo ualetudinis tuae fieri poſſit, nihil me malle, quam te eſſe mecum: ſin intelliges, opus eſſe te Patris conualeſcendi cauſa paulum commorari, nihil me malle, quam te ualere.* 10. *Ego uero cupio, te ad me uenire. Ibi te ut firmum offendam, mi Tiro, effice.* IX.

IX. Subſequitur Enthymema Probans. Hoc enim arctiſſime cum Fundamentali connexum in eius ſinu, gremioque conquieſcit. Eſt enim unum idemque utriusque Conſequens, et eiusmodi, quod utrique eſt commune. Cui Conſequenti cum primo Antecedens Fundamentale, deinde Probans praemittatur, apparet ſane, ipſum Enthymema Probans Fundamentali incluſum, implicitumque eſſe. Probans autem Enthymema eſt, quod robur, et uiſcera epiſtolae complectitur. Neque fere alibi, praeterquam in literis, locum uindicat. Si quando in oratione cernitur, inter illa ponendum eſt, quae rarius contingunt. Id quod tunc uſu uenit, ubi uarietatis ergo Chria conuertitur, atque adeo in Enthymema degenerat. Alioquin, uelut Enthymema epiſtolae, ſic Chria orationi opportunior. Etenim probationes ſedem haud aliam, niſi in confirmatione tenent. Atqui in epiſtola Conſequens, id eſt, Propoſitio, ſequitur, aetiologia antecedit : atque hinc Enthymema exiſtit. Contra ea in oratione Propoſitio, idque propter orationis magnitudinem, priorem poſſidet locum : aetiologiae ſubiiciuntur. Atque hinc Chriae conſurgunt.

X. Praecedit autem in epiſtolis Probatio, ſequitur Propoſitio, propter cauſas haſce. Primo, quoniam ipſi naturae uidetur conuenientius, ut Probatio, ~~id eſt~~, cauſa, utpote natura prior, antecedat : effectum contra ſequatur. Eſt autem Probatio cauſa Propoſitionis. De-

inde propterea, quia ordo iste est facilior. Ita enim uelut proniore alueo fluit epistolae contextus; parsque partem uelut ultro excipit: id quod usu comprobatur. Denique ideo, quia istaec ratio est utilissima, et fini epistolae, persuasioni puta, accommodatissima. Facilius quippe persuaseris, si Propositionem argumentis praemunieris, et animum lectoris prius peruiceris, quam rem ipsam proponas. Propositio utplurimum res inuisa, atque ingrata est: ut si petas, admoneas, ualedicas, obiurges, suadeas, dissuadeasue; immo si etiam consoleris. Contra facilius longe, feliciusque animum lectoris permoueris, citiusue paraueris assensum, si ante conuincas, quam proponas. Animus proinde primum argumentis praeparandus est, quibus, exempli causa, demonstretur rei honestas, dignitas, utilitas, necessitas, facilitas. His ueluti facibus subiectis, facilius Propositioni lector assentietur. Haec ergo argumentis substernenda est. Si quis uelit proponere, priusquam probet, is modo non absurdus est, ac tantundem agit, ac si ex uiridi, humidoue ligno confestim ignem sese excitaturum esse arbitretur.

XI. Vnde comparetur Enthymema Probans, nunc uidendum. Antecedens arcessi potest ex omnibus locis Topicis probantibus, qui sunt Notationis, Definitionis, Generis, Causarum, Effectorum, Adiunctorum. Est autem, ut iamdum monitum fuit, Antecedens Probans fere ratio quaedam specialior, nec omnibus materiis for-

formae alicuius epiſtolicae reſpondens. Quo ipſo praecipue diſſidet ab Antecedenti Fundamentali, utpote quod cunctis exemplis formae alicuius epiſtolicae aptum eſt. Nam quotiescunque petas, gratuleris, conſoleris, illic indigentia, iſtic felicitas, hic infelicitas militabit, & primum, ac ante omnia animo ſcriptoris ſeſe ingeret. At uero, ſi in literis Petitoriis allegetur amicitia, ſiue propria, ſiue parentum, ſiue agnatorum, aut cognatorum, huiusmodi ratio ſpecialis erit. Nec enim ualet, niſi inter amicos, eandemque ob cauſam non in omnes epiſtolas Petitorias competit. Vbi igitur non habet locum, alia exquirenda erunt argumenta, quibus lectori rem perſuadeas, eiusdemque aſſenſum mereare.

XII. Vt uero et de hoc rationum genere tanto conſtet luculentius, iuuat exempla aliquammulta ab Romanae eloquentiae principe mutuari. Ita adducitur ratio ſpecialis in epiſtolis Petitoriis ab amicitia propria, L. VI, ep. 17 ad fam. ab amicitia parentum, familiaeque alterius, XV, 10. ab amicitia, cum affinitatibus alterius culta, III, 4. In Gratulatoriis a noſtra erga alterum beneuolentia, et uiciſſim ab alterius beneuolentia erga nos: item, a parentum alterius in nos ſtudiis, ac beneficiis, XV, 7, et 8. In Conſolatoriis a Maiori, quod mala publica perpeſſi ſimus; item, quod oppida florentisſima interierint; item, quod tot uiri magni occiſi ſint; item, quod imperium minutum, quod que multae regiones deuaſta-

uastatae: a Decoro, quod quispiam sit Philosophus; quod filia mortua in rep. adhuc libera uixerit; quod patrem praetorem, consulem, augurem uiderit; quod iuuenibus primariis nupta fuerit: a publice Vtili, quod aliquis diutius patriae commodo superesse possit: a Periculoso, quod aliquis luctu immodico uideri possit non tam filiam, quam principis tyrannidem lugere: a Pari, quod aliquis fortunam secundam pulchre tulerit, IV, 5. In Gratiarum actoriis, quod aliquis officium amico nostro singulari detulerit, XIII, 18; quod nostrorum literis de beneficio alterius certiores facti simus; quod nos communibus studiis coniuncti simus; quod scriptor beneficiis alterius, eiusdemue parentum obstrictus; item, quod alter sit uir de bono publico bene meritus. Vnde concludit Cicero, tanto se libentius, et studiosius omnia facturum Marcelli causa, eoque ipso gratiam eidem relaturum, ad quem quidem haec scripta uide XV, 11. In Nunciatoriis, quod alter scriptionem rerum nouarum petierit, VII, 1; quod scriptor alterum uoluntatem, et consilium suum scire uoluerit; item, ut alter habeat, quod dicat scriptoris aduersariis, 3; quod scriptor malit alterum, quam sese in scribendo negligentem esse, 26; ut amicus rescribat, IX, 3. Vnum addo, saepe causam commendationis fuisse Ciceroni ab hospitio, de quo uide cum epistolas permultas alias, tum in primis XIII, 19. Hasce, & idgenus rationes omnes iam consequuntur

Pro-

Propositiones hae: Petitio, Solatium, Gratiarum actio, Nunciatio, Commendatio.

XIII. Libet Antecedens Probans ordinatim peruestigare. Petitur itaque primo a Notatione, quo pertinent: Etymologia, Synonymia, Vsus uocis, Homonymia, Coniugatum. Exempla sunt: consul, et consulere; Philosophus, et amator sapientiae; artifex, et colens artem; audacia, et fortitudo; fortis, et fortiter. Secundo a Definitione, ut si hominem dicas animal ratione praeditum. Tertio a Genere, quorsum Speciem, Differentiam, et Indiuiduum referas. Genera sunt: animans, uirtus, semper, ubique. Species: homo, dies, museum, domi, aut foris. Differentiae: sensus, et ratio in homine; affectuum, actionumque moderatio in uirtute; uoluptatum in temperantia: conuersio solis motu diurno in die; circumscriptio corporis in loco. Indiuidua: aliquis homo, haec temperantia, hodie, hoc loco. Quarto a causis, quae late patent. Sunt autem earum quatuor summa genera: Efficiens, Materia, Forma, Finis. Efficiens alia mouens est, alia agens. Mouens rursus interna alia, alia externa. Ac illa quidem est huius loci: haec autem est Enthymematis Fundamentalis. Agens uero diuisa est in principalem, ministram, et instrumentalem: item in solitariam, et sociam. Materia uulgo triplex ponitur: subiectum, in quo quicquam est; materia subiecta, circa quam occupamur; et materia ex qua. Forma uel est generica,

nerica, uel ſpecifica. Finis denique uel eſt primarius, uel ſecundarius: rurſus alius internus, alius externus: porro intermedius alius, alius ultimus. Exempla ſunt, exempli cauſa, cauſae efficientis: amor literarum, exhortatio amicorum, ſtudioſus, magiſtri, libri, ratione eruditionis; Deus ratione mundi conditi; milites pro patria pugnantes. Materiae: homo ratione ſcientiae, et uirtutis; Deus ratione cognitionis; corpus ratione hominis, aut ligna, et caementa, ratione domus. Formae: anima ſentiens, & anima rationalis in homine. Illa quidem dicitur forma generis; haec ſpeciei. Finis: gloria Dei, ſalus Eccleſiae, et reip. eruditio, et uirtus, hominumque ſalus, et denuo gloria Dei: inſtitutio, et diſciplina, denuoque Dei gloria. Quinto ab Effectis, quorum nomine intelliguntur actiones, paſſiones, et opera. Ita effecta Dei ſunt creatio, et mundus, item laus ipſius, & adoratio; diſcipuli: exercitatio, inſtitutio, ſpecimen doctrinae. Effectus uirtutis eſt ſummum bonum; uitii infamia; rationis ratiocinatio; mortalitatis corruptio. Sexto ab Adiunctis. Qui locus patet omnium latiſſime, & argumenta ea ſubminiſtrat, quae quia frequentius, et facilius, quam reliqua argumenta Topica occurrunt, idcirco Rhetorica dicuntur. Sunt illa enimuero uel generalia, et cunctis cauſarum generibus communia; uel ſpecialia, ſiue ſingulis propria. Communia ſunt: Magnum, & Paruum; Multum, et Paucum, aut Rarum; Facile, et

et Difficile; Possibile, et Impossibile; Diuturnum, et Caducum. Magis propria Generi Demonstratiuo sunt: Honestum, et Turpe; Gloriosum, et Inglorium, aut Ignominiosum, siue Infame. Ad Honestum, et Turpe, referri debent Pium, et Impium; itemque Decorum, et Indecorum. Honesta, ex praecepto summi Aristotelis, in Arte Rhetorica, sunt haec tria: uirtus, causa uirtutis, effectus uirtutis. Quae omnia plenissime explicata dare, et pro dignitate persequi, non est huius instituti. Adiuncta, siue argumenta, exinde ducta, magis propria Generi Deliberatiuo sunt haec: Necessarium, et Non necessarium, aut Superuacaneum, aut Frustraneum; Vtile, et Inutile, aut Damnosum; Tutum, et Periculosum; Opportunum, et Inopportunum; Iucundum, et Iniucundum, aut Molestum. Magis propria Generi Iudiciali sunt haec: Iustum, et Iniustum; Aequum, et Iniquum. Magis propria Generi Familiari sunt haec: Certum, seu Manifestum, et Incertum, aut Dubium. Denique magis propria Generi Didascalico sunt haec: Verum, et Falsum; Verisimile, seu Probabile, et Non uerisimile, aut Inopinatum; Credibile, et Incredibile, aut Absurdum; Perspicuum, et Obscurum. Vidimus breuiter de Antecedente Enthymematis Probantis, eiusdemque locos indicauimus. Inuentio autem Consequentis nullius est negotii. Est enim hocce, perinde ut in Enthymemate Fundamentali, ipsum epistolae nomen, atque adeo nihil

nihil plane a Consequente Fundamentalis Enthymematis diuersum.

XIV. Est uero nunc opus, ut pariter Enthymemata Probantia exemplis, a Cicerone acceptis, illustremus. Ex loco Causarum. Ad fam. IV, 5. *Quid est, quod tantopere te commoueat tuus dolor intestinus? Quodsi quis etiam inferis sensus est, qui illius amor in te fuit, pietasque in omnes suos, hoc certe illa te facere non uult. Da hoc illi mortuae, da ceteris amicis, et familiaribus, qui tuo dolore moerent; da patriae: ut, si qua in re opus sit, opera, et consilio tuo uti possit.* VII, 19. *Ab ipsa urbe commonitus, amantissima tui, eum librum tibi misi Rhegio, scriptum, quam planissime res illa scribi potuit.* XI, 2. *Nos ab initio spectasse otium, nec quicquam aliud a libertate communi quaesisse, exitus declarat. Rescribas nobis ad omnia, rogamus.* III, 4. *Meum studium erga te, et officium, tametsi multis iam rebus spero tibi esse cognitum, tamen in iis maxime declarabo, quibus plurimum significare potuero, tuam mihi existimationem, et dignitatem carissimam esse. Mihi et Q. Fabius Virgilianus, et C. Flaccus, L. F. et diligentissime M. Octauius, Cn. F. demonstrauit, me a te plurimi fieri: quod egomet multis argumentis iam antea iudicaram, maximeque illo libro augurali, quem ad me amantissime scriptum suauissimum misisti.* Ex loco Effectorum. V, 1. *Itaque in luctu et squalore sum, qui prouinciae, qui exercitui praesum, qui bella gero. Quae quoniam nec ratione, nec maiorum nostrorum clementia administrastis, non erit mirandum, si uos poenitebit.*

nitebit. XI, 16. *Magno praeterea beneficio eius, magnoque merito sum obligatus. Nam Clodianis temporibus, cum ordinis equestris princeps esset, proque mea salute acerrime propugnaret, a Gabinio COS. relegatus est: quod ante id tempus ciui Rom. Romae contigit nemini. Quapropter persuade tibi, mi Brute, me petere praeturam.* Item. *Nunc si me tanti facis, quanti certe facis, quando equitum centurias tenes, in quibus regnas, mitte ad Lupum nostrum, ut is nobis eas centurias conficiat.* 17. *Magna eius in me non dico officia, sed merita sunt, eaque populo Rom. notissima. Velim igitur, mi Brute, tibi persuadeas, nihil me maiore studio a te petere, nihil te mihi gratius facere posse, quam si omnibus tuis opibus, omni studio, Lamiam in petitione iuueris.* Ex loco Adiunctorum. A Magno. III, 13. *Haec mihi ampliora multo sunt, quam illa ipsa, propter quae haec elaborantur. Insignia enim uirtutis multi etiam sine uirtute assecuti sunt: talium uirorum tanta studia assequi sola uirtus potest. Illud uelim sic habeas, quod intelliges: hac re nouata additum potius aliquid ad meum erga te studium, cui nibil uidebatur addi posse, quam quicquam esse detractum.* A Facili. Primo a facultate. III, 2. *A te maximopere, pro nostra summa coniunctione, tuaque singulari humanitate, etiam atque etiam peto, et quaeso, ut, quibuscunque rebus poteris (poteris autem plurimis) prospicias, et consulas rationibus meis.* Secundo a consuetudine. IV, 5. *Quid est, quod tantopere te commoueat tuus dolor intestinus? Qui non in illis rebus exercitatus animus callere iam debet, atque omnia minoris aestimare?* Tertio a tempore. Ibidem. *Quid*

est, quod tantopere te commoueat tuus dolor intestinus? Nullus dolor est, quem non longinquitas temporis minuat, atque molliat. Hoc te expectare tempus, ac non ei rei sapientia tua occurrere, tibi turpe est. A Facili, et Difficili. XI, 2. *Fallere nemo nos potest, nisi tu: quod certe abest a uirtute tua, et fide. Sed alius nemo facultatem habet decipiendi nos. Rescribas nobis ad omnia, rogamus.* A Difficili, et Facili, et quidem tam ratione facultatis, quam uoluntatis. XI, 17. *Sed is ambitus extare uidetur, ut ego omnia pertimescam, totamque petitionem Lamiae mihi sustinendam putem. In ea re, quantum me possis adiuuare, facile perspicio: nec uero, quantum mea causa uelis, dubito. Velim igitur, mi Brute, tibi persuadeas, nihil me maiore studio a te petere, nihil te mibi gratius facere posse, quam si omnibus tuis opibus, omni studio Lamiam in petitione iuueris.* Ab Impossibili. XIV, 2. *Verum haec non sunt in nostra manu. Illud doleo, quae impensa facienda est, in eius partem te miseram, et despoliatam uenire. Quod si conficitur negotium, omnia consequemur: sin eadem nos fortuna premet, etiamne reliquias tuas misera proiicies? Obsecro te, mea uita, quod ad sumptum attinet, sine alios, qui possunt, si modo uolunt, sustinere.* IX, 17. A Possibili. *Immo uero, si me amas, tu fac, ut sciam, quid de nobis futurum sit. Habuisti enim in tua potestate, ex quo uel ex sobrio, uel certe ex ebrio scire posses.* Ab Honesto II, 18. *Sed mihi, magis magisque quotidie de rationibus tuis cogitanti, placet id meum consilium, quod initio Aristoni nostro, ut ad me uenit, ostendi.* Post interiecta argumenta a Damnoso, et In-

Iniusto. *Ille autem, ut omittam nobilitatem, hoc ipso uincit uiros optimos, hominesque innocentissimos, legatos tuos, quod et quaestor est, et quaestor tuus.* III, 4. *Mea in te omnia summa necessitudinis officia constabunt. Nam cum te ipsum, ex quo tempore tu me diligere coepisti, quotidie pluris feci: tum accesserunt etiam coniunctiones necessariorum tuorum. Duos enim duarum aetatum plurimi facio, Cn. Pompeium, filiae tuae socerum, et M. Brutum, generum tuum. Collegii quoque coniunctio, praesertim tam honorifice a te approbata, non mediocre uinculum mihi quidem attulisse uidetur ad uoluntates nostras copulandas.* 13. *Itaque mihi propono fructum amicitiae nostrae ipsam amicitiam, qua nihil est uberius, praesertim in iis studiis, quibus uterque nostrum deuinctus est. Nam tibi me profiteor et in rep. socium, de qua idem sentimus, et in quotidiana uita coniunctum cum iis artibus, studiisque, quae colimus.* A Decoro. IV, 5. *Quid est, quod tantopere te commoueat tuus dolor intestinus? Denique noli te obliuisci Ciceronem esse, et eum, qui aliis consueueris praecipere, et dare consilium: neque imitare malos medicos, qui in alienis morbis profitentur se tenere medicinae scientiam, ipsi se curare non possunt: sed potius, quae aliis praecipere soles, ea tute tibi subiice, atque apud animum propone.* Pauloque post. *Vidimus aliquoties, secundam pulcherrime te ferre fortunam, magnamque ex ea re laudem adipisci. Fac, aliquando intelligamus, aduersam quoque te aeque ferre posse, neque id maius, quam debeat, tibi onus uideri: ne ex omnibus uirtutibus haec una tibi uideatur deesse.*

Ab Honesto, et Inhonesto. IV, 9. *Iisdem igitur te de rebus etiam atque etiam hortor, quibus superioribus literis hortatus sum, ut in ea rep. quaecunque est, quamprimum uelis esse. Nunc uero nec locus tibi ullus dulcior esse debet patria: nec eam diligere minus debes, quod deformior est, sed misereri potius; nec eam, multis claris uiris orbatam, priuare etiam aspectu tuo. Denique, si fuit magni animi non esse supplicem uictori, uide, ne superbi sit aspernari eiusdem liberalitatem; et, si sapientis est carere patria, duri non desiderare; et, si rep. non possis frui, stultum est nolle priuata.* A Turpi. V, 1. *Nunc uideo, illum circumuentum, me desertum, a quibus minime conueniebat. Non erit mirandum, si uos poenitebit.* Ab Honesto. VI, 19. *Cum A. Caecina tanta mihi familiaritas, consuetudoque semper fuit, ut nulla maior esse possit. Nam et patre eius, claro homine, et forti uiro, plurimum usi sumus: et hunc a puero, quod et spem mihi magnam afferebat summae probitatis, summaeque eloquentiae, et uiuebat mecum coniunctissime, non solum officiis amicitiae, sed etiam studiis communibus, sic semper dilexi, ut non ullo cum homine coniunctius uiuerem. Reliquum est, ut, cum cognorim pluribus rebus, quid tu et de bonorum fortuna, et de reip. calamitatibus sentias, nihil a te petam, nisi ut ad eam uoluntatem, quam tua sponte erga Caecinam habiturus esses, tantus cumulus accedat commendatione mea, quanti me a te fieri intelligo.* Ab Impio. VII, 12. *Quomodo autem tibi placebit Iouem lapidem iurare, cum scias, Iouem iratum esse nemini posse?*

se? Quare, si plane a nobis deficis, moleste fero. A Turpi. Ibid. *O castra praeclara!* Et paulo post. *Vbi porro illa erit formula fiduciae, ut INTER BONOS bene agier? Quis enim est bonus, qui facit nihil, nisi sua causa? Quare, si plane a nobis deficis, moleste fero.* 14. *Quodsi scribere oblitus es, nimis multi iam te aduocato causa cadent: sin nostri oblitus es, dabo operam, ut istuc ueniam ante, quam plane ex animo tuo effluam: sin aestiuorum timor te debilitat, aliquid excogita, ut fecisti de Britannia. Illud quidem libenter audiui ex eodem Chrysippo, te esse Caesari familiarem: sed me hercule mallem, id quod erat aequius, de tuis rebus ex tuis literis quam saepissime cognoscere.* XI, 12. *Ita enim Romam erat nunciatum, ita persuasum omnibus, cum paucis inermibus, perterritis metu, fracto animo fugisse Antonium. Qui si ita se habet, ut (quemadmodum audiebam de Graeceio) confligi cum eo sine periculo non possit, non ille mihi fugisse Mutina uidetur, sed locum belli gerendi mutasse. Itaque homines alii fracti sunt: nonnulli etiam queruntur, quod persecuti non sitis: opprimi potuisse, si celeritas adhibita esset, existimant. Omnino est hoc populi, maximeque nostri, in eo abuti libertate, per quem eam consecutus sit. Sed tamen prouidendum est, ne qua iusta querela esse possit.* Ab Honesto. XI, 17. *Hoc ego utor uno omnium plurimum: magna uetustas, magna consuetudo intercedit: quodque plurimum ualet, nihil mihi eius familiaritate iucundius. Quapropter persuade tibi, mi Brute, me petere praeturam.* 17. *L. Lamia uno omnium familiarissime*

familiariſſime utor. Velim igitur, mi Brute, tibi perſuadeas, nihil me maiore ſtudio a te petere, nihil te mihi gratius facere poſſe, quam ſi omnibus tuis opibus, omni ſtudio Lamiam in petitione iuueris. Ab Honeſto, et Decoro XII, 6. *SEX. Aufidius et obſeruantia, qua me colit, accedit ad proximos, et ſplendore equiti Romano nemini cedit. Eſt autem ita temperatis, moderatisque moribus, ut ſumma ſeueritas ſumma cum humanitate iungatur. Cuius tibi negotia, quae ſunt in Africa, ita commendo, ut maiore ſtudio, magisque ex animo commendare non poſſim.* A Neceſſario. III, 2. *A te maximopere pro noſtra ſumma coniunctione, tuaque ſingulari humanitate, etiam atque etiam peto, et quaeſo, ut, quibuscunque rebus poteris (poteris autem plurimis) proſpicias, et conſulas rationibus meis. Vides, mihi ex SC. prouinciam eſſe habendam.* IV, 5. *Quid eſt, quod tantopere te commoueat tuus dolor inteſtinus? Quae ſi hoc tempore non ſuum diem obiiſſet, paucis poſt annis tamen ei moriendum fuit, quoniam homo nata fuerat.* 11. *Reliqua ſunt eiusmodi, quibus ego, quoniam haec erant tempora, facile, et aequo animo carebam. Hoc uero eiusmodi eſſe ſtatuo, ut, ſine talium uirorum, et amicorum beneuolentia, neque in aduerſa, neque in ſecunda fortuna, quisquam uiuere poſſit. Itaque hoc ego mihi gratulor.* XVI, 10. *Ibi te ut firmum offendam, mi Tiro, effice. Literulae meae, ſiue noſtrae, tui deſiderio oblanguerunt.* A Non neceſſario. XIV, 2. *Quod ſi conficitur negotium, omnia conſequemur: ſin eadem nos fortuna premet, etiamne reliquias tuas miſera proiicies? Obſecro*

ſecro te, mea uita, quod ad ſumptum attinet, ſine alios, qui poſſunt, ſi modo uolunt, ſuſtinere. Ab Vtili priuatiuo. IV, 5. *Quid eſt, quod tantopere te commoueat tuus dolor inteſtinus? At illius uicem, credo, doles. Quoties in eam cogitationem neceſſe eſt, ut tu ueneris, ut et nos ſaepe incidimus, biſce temporibus non peſſime cum iis eſſe actum, quibus ſine dolore licitum eſt mortem cum uita commutare?* Ab Vtili poſitiuo. 10. *Cum ſuſpicarer, multum intereſſe rei familiaris tuae te quamprimum uenire, idque in omnes partes ualere, putaui, ea de re te eſſe admonendum.* VII, 23. *Itaque omnia experiar. Video enim, quid mea interſit, quid utriusque noſtrum.* Ab Inutili, 11. *Quis enim tot interregnis iureconſultum deſiderat? Quodſi aut ſit, aut futurum putas, perfer iſtam militiam, et permane. Ego enim deſiderium tui ſpe tuorum commodorum conſolabor. Sin iſta ſunt inaniora, recipe te ad nos.* A Glorioſo, et Inutili. *Conſuli quidem te a Caeſare, ſcribis; ſed ego tibi ab illo conſuli mallem. Quodſi aut ſit, aut futurum putas — ad nos.* A Damnoſo, II, 18. *Sed mihi, magis magisque quotidie de rationibus tuis cogitanti, placet illud meum conſilium, quod initio Ariſtoni noſtro, ut ad me uenit, oſtendi, graues te ſuſcepturum inimicitias, ſi adoleſcens potens, et nobilis, a te ignominia affectus eſſet.* A Fruſtraneo, X, 4. *Nunc uero quid eſt, quod me in aliam partem trahere poſſit? Quaecunque in me bona ſunt, aut fortunae beneficio tributa, aut meo labore parta, etſi a te propter amorem carius ſunt aeſtimata: tamen uel inimiciſſimi iudicio tanta ſunt, ut praeter bonam famam*

mam nihil desiderare uideantur. Quare hoc unum tibi persuade, quantum uerbis eniti, consilio prouidere, auctoritate monere potuero, hoc omne reip. semper futurum. Non est ignotus mihi sensus tuus. Neque si facultas, optabilis mihi quidem, tui praesentis esset, unquam a tuis consiliis discreparem: nec nunc committam, ut ullum meum factum reprehendere iure possis. A Tuto. II, 18. *Sed mihi, magis magisque quotidie de rationibus tuis cogitanti --- affectus esset. Cur ego te uelim incidere in terrores tribunitios, praesertim cum sine cuiusquam reprehensione legatis quaestorem possis anteferre?* A Periculoso. Ibidem. *Sed mihi --- affectus esset. Nocere tibi iratum neminem posse, perspicio: sed tamen tres fratres, summo loco natos, promptos, non indisertos, te nolo habere iratos, praesertim iure, quos uideo deinceps tribunos pleb. per triennium fore.* IV, 5. *Quid est, quod tantopere te commoueat tuus dolor intestinus? Denique, quoniam in eam fortunam deuenimus, ut etiam huic rei nobis seruiendum sit, noli committere, ut quisquam te putet non tam filiam, quam reip. tempora, et aliorum uictoriam lugere.* 9. *Iisdem igitur te de rebus etiam atque etiam hortor, quibus superioribus literis hortatus sum, ut in ea rep. quaecunque est, quamprimum uelis esse. Caput illud est, ut, si ista uita tibi commodior esse uideatur, cogitandum tamen sit, ne tutior non sit. Magna gladiatorum est licentia, sed in externis locis minor etiam ad facinus uerecundia.* XI, 2. *Quare petimus a te, facias nos certiores tuae uoluntatis in nos: putesne nos tutos fore in*

tanta

tanta frequentia ueteranorum. Maximo de nobis timore afficiuntur amici nostri. Quibus etsi tua fides explorata est, tamen illud in mentem uenit, multitudinem ueteranorum facilius impelli ab alio quolibet, quam a te retineri posse. Ab Opportuno. IX, 20. *Omnem nostram de rep. curam, cogitationem de dicenda in senatu sententia, commentationem causarum abiecimus: in Epicuri nos, aduersarii nostri, castra coniecimus: nec tamen ad hanc insolentiam, sed ad illam tuam lautitiam, ueterem dico, cum in sumptum habebas, etsi nunquam plura praedia habuisti. Proinde para te.* XVI, 10. *Ego in Formiano ad III Kal. Ian. esse uolo. Ibi te ut firmum offendam, mi Tiro, effice.* Ab Inopportuno. XVI, 1. *Marionem eo ad te misi, ut aut tecum ad me quamprimum ueniret: aut, si tu morarere, statim ad me rediret. Tu autem hoc tibi persuade, si commodo ualetudinis tuae fieri possit, nihil me malle, quam te esse mecum: sin intelliges, opus esse, te Patris conualescendi causa paulum commorari, nihil me malle, quam te ualere.* A Iucundo. III, 1. *Iucunda mihi eius oratio fuit, cum de animo tuo, de sermonibus, quos de me haberes, quotidie narraret. Quid quaeris? Biduo factus est mihi familiaris.* 2. *A te maximopere, pro nostra summa coniunctione, tuaque singulari humanitate, etiam atque etiam peto, et quaeso, ut, quibuscunque rebus poteris (poteris autem plurimis) prospicias, et consulas rationibus meis. Vides mihi ex S.C. prouinciam esse habendam. Si eam (quoad eius facere potueris) quam expeditissimam mihi tradideris, facilior erit mihi quasi decursus mei temporis.* IV, 10. *Cura igitur, ut quamprimum*

mum uenias. Venies enim mihi, crede, expectatus: neque solum nobis, id est, tuis, sed prorsus omnibus. XVI, 25. *Etsi iusta, et idonea usus es excusatione intermissionis literarum tuarum: tamen, id ne saepius facias, rogo. Nam etsi de rep. rumoribus, et nunciis certior fio, et de tua in me uoluntate semper ad me perscribit pater: tamen de quauis minima re scripta a te ad me epistola fuit gratissima.* Ab Iniucundo, et Molesto IV, 9. *Iisdem igitur te de rebus etiam atque etiam hortor, quibus superioribus literis hortatus sum, ut in ea rep. quaecunque est, quamprimum uelis esse. Multa uidebis fortasse, quae nolis: non plura tamen, quam audis quotidie. Non est porro tuum uno sensu solum oculorum moueri: cum idem illud auribus percipias, quod etiam maius uideri solet, minus laborare. At tibi ipsi dicendum erit aliquid, quod non sentias; aut faciendum, quod non probes. Primum tempori cedere, id est, necessitati parere, semper sapientis est habitum. Deinde non habet, ut nunc quidem est, id uitii res. Dicere fortasse, quae sentias, non licet: tacere plane licet. Omnia enim delata ad unum sunt. Is utitur consilio ne suo quidem, sed suorum.* 10. *Cura igitur, ut quamprimum uenias. Quodsi nullum haberes sensum, nisi oculorum, prorsus tibi ignoscerem, si quosdam nolles uidere. Sed cum leniora non multo essent, quae audirentur, quam quae uiderentur: putaui, ea de re te esse admonendum.* XVI, 8. *Nam tametsi, qui ueniunt, ἀκίνδυνα μὲν, χρονιώτερα δὲ nunciant: tamen in magna consolatione ingens inest solicitudo, si diutius a nobis absuturus est is,*

is, cuius usum, et suauitatem desiderando sentimus. Attamen, quanquam uidere te tota cogitatione cupio: tamen te penitus rogo, ne te tam longae nauigationi, et uiae per hyemem, nisi bene firmum, committas; neue nauiges, nisi explorate. A Iusto. XI, 2. *Digni sumus, quos habeas tui consilii participes, in ea praesertim re, quae ad nos pertineret. Quare petimus a te, facias nos certiores tuae uoluntatis in nos: putesne nos tuos fore in tanta frequentia ueteranorum.* Ab Iniusto, II, 18. *Sed mihi, magis magisque de rationibus tuis cogitanti — affectus esset. Et hercle sine dubio erit ignominia. Habes enim neminem honoris gradu superiorem.* VII, 12. *Sed quonam modo ius ciuile defendes, cum omnia tua causa facias, non ciuium? Quod ius statues COMMVNI DIVIDVNDO, cum commune nihil possit esse apud eos, qui omnia uoluptate sua metiuntur? Quid fiet porro populo Vlubrano, si statueris, πολιτεύεσθαι non licere? Quare, si plane a nobis deficis, moleste fero.* Ab Aequo. IV. 5. *Quid est, quod tantopere te commoueat tuus dolor intestinus? Etiam tu ab hisce rebus animum, ac cogitationem tuam auoca, atque ea potius reminiscere, quae digna tua persona sunt: illam, quamdiu opus fuerit, uixisse: una cum rep. fuisse: te, patrem suum, praetorem, consulem, augurem uidisse: adolescentibus primariis nuptam fuisse: omnibus bonis prope perfunctam esse: cum resp. occideret, uita excessisse. Quid est, quod tu, aut illa, cum fortuna hoc nomine queri possitis.* XI, 16. *Is, magnificentissimo munere aedilitatis perfunctus, petit praeturam.*

ram. Omnesque intelligunt, nec dignitatem ei deesse, nec gratiam. Ab Iniquo. XVI, 2. *Illud doleo, quae impensa facienda est, in eius partem te miseram, et despoliatam uenire. Quodsi conficitur negotium, omnia consequemur: sin eadem nos fortuna premet, etiamne reliquias tuas miseras proiicies? Obsecro te, mea uita, quod ad sumptum attinet, sine alios, qui possunt, si modo uolunt, sustinere.* A Falso. V, 2. *Scribis ad me.* Vsque ad: *subleuaretur.* Est enim haec tota epistola falsarum accusationum, et criminationum plena, habens argumenta quinque, a falso petita, cum subiunctis rationibus, et amplificationibus, quibus subiectum est Consequens, uerbis his comprehensum: *Quare ego non oppugnaui fratrem tuum, sed fratri tuo repugnaui.* A Perspicuo. VII, 19. *Eum librum tibi mibi Rhegio, scriptum, quam planissime res illa scribi potuit. Si attente leges, si saepius, per te omnia consequere: ut certe intelligas.*

XV. Haec in praesentia sufficiant, si tamen monuerimus, Signa ad eundem huncce locum Adiunctorum iure meritoque referenda esse, quae pariter placet exemplis nonnullis declarare. VII, 12. *Iam tum mihi non placebas, cum idem intuerere, quod et Titus, familiaris meus. Quare, si plane a nobis deficis, moleste fero.* X, 29. *Quod quidem nec destiti facere, nec desistam: et iam in maxima re feci, et fundamenta ieci salutis tuae.* XI, 2. *Maximo de nobis timore afficiuntur amici nostri. Quibus etsi tua fides explorata est, tamen illud in mentem uenit, multitudinem ueteranorum*

rum

rum facilius impelli ab alio quolibet, quam a te retineri posse. Neque tamen non et illud praeterea succurrit, locum Adiunctorum non modo absolutum, uerum etiam comparatum esse. Atque posterior quidem est, si ostendatur, exempli caussa, aliquid esse maius, minusue: magis, minusue honestum, gloriosum, necessarium, utile, iucundum, aequum, iustum. Quam in sententiam uel bina exempla reddidisse satis sit. A Maiori. Cicero ad fam. IV. 5. *Quid est, quod tantopere te commoueat tuus dolor intestinus? Cogita, quemadmodum adhuc fortuna nobiscum egerit: ea nobis erepta esse, quae hominibus non minus, quam liberi, cara esse debent: patriam, honestatem, dignitatem, honores omnes. Hoc uno incommodo addito, quid ad dolorem adiungi potuit? aut qui non, in illis rebus exercitatus, animus callere iam debet, atque omnia minoris aestimare?* X, 29. *Illi mihi necesse est concedant, ut tibi plus, quam ipsi, hoc tempore prodesse possim. Quod quidem nec destiti facere, nec desistam.* A Minori. *Quid est --- intestinus? At uero malum est liberos amittere! Malum, nisi hoc peius sit, haec sufferre, et perpeti.* A magis Necessario. *Quid est --- intestinus? Quae res mihi non mediocrem consolationem attulit, uolo tibi commemorare, si forte eadem res minuere tibi dolorem possit. Ex Asia rediens, cum ab Aegina Megaram uersus nauigarem, coepi regiones circumcirca prospicere. Post me erat Aegina, ante Megara, dextra Piraeus, sinistra Corinthus: quae oppida quodam tempore florentissima fuerunt, nunc prostrata,*

et

et diruta ante oculos iacent. Coepi egomet mecum sic cogitare : Hem ! nos homunculi indignamur, si quis nostrum interiit, aut occisus est, quorum uita breuior esse debet, cum uno loco tot oppidorum cadauera proiecta iaceant? Visne tu te, Serui, cobibere, et meminisse, hominem te esse natum? Crede mihi, cogitatione ea non mediocriter sum confirmatus. Hoc idem, si tibi uidetur, fac ante oculos tibi proponas. Modo uno tempore tot uiri clarissimi interierunt : de imperio praeterea tanta diminutio facta est : omnes prouinciae conquassatae sunt : in unius mulierculae animula si iactura facta est, tantopere commoueris?

XVI. Ceterum ad Enthymema probans pertinet Enthymema Exaggerans, ab aliqua circumstantia deductum, ut si probandum putes, factum quicquam ab aliquo primum, ab aliquo solo, in paucitate auxiliorum, praecipue, tempore opportuno, saepe, loco difficili, praeter expectationem omnium, loco alius. Cicero ad fam. IV, 11. *Gratulatio tua etsi est mihi probatissima, quod optimo sit animo : tamen hoc mihi multo iucundius est, et gratius, quod in summa paucitate amicorum, propinquorum, aut necessariorum, qui uere meae saluti fauerent, te cupidissimum mei, singularemque mihi beneuolentiam praestitisse cognoui. Itaque hoc ego mihi gratulor.* VII, 13. *Quid tu fecisses, si te Tarentum, et non Samarobrinam misissem? Quare, si plane a nobis deficis, moleste fero.* X, 3. *Incumbe, per deos immortales, in eam curam, et cogitationem, quae tibi summam dignitatem, et*

et gloriam afferat. Vnus est, hoc praesertim tempore, per tot annos rep. deuexata, reip. bene gerendae cursus ad gloriam. XI, 16. *Nam Clodianis temporibus, cum equestris ordinis princeps esset, proque mea salute acerrime propugnaret, a Gabinio COS. relegatus est: quod ante id tempus ciui Rom. Romae contigit nemini. Quapropter persuade tibi, mi Brute, me petere praeturam.* XIV, 2. *Sed moereo casum eiusmodi, ut tantis tuis miseriis meae miseriae subleuentur. Nam ad me P. Valerius, homo officiosus, scripsit, id quod ego maximo cum fletu legi, quemadmodum a Vestae ad tabulam Valeriam ducta esses. Hem! mea lux, meum desiderium, unde omnes opem petere solebant, te nunc, mea Terentia, sic uexari, sic iacere in lacrymis, et sordibus: idque fieri mea culpa, qui ceteros seruaui, ut nos periremus?*

XVII. Postremo dantur praeterea et alia quaedam argumenta probantia, quae Aristoteli ἄτεχνα, Quintiliano inartificialia uocantur, et ad unum omnia ex loco Testimoniorum fluunt, cuius generis sunt: Lex, Pactum, Testis, Iusiurandum, Praeiudicium, Fama, Consuetudo. Quo in genere cum rara exempla occurrant, sufficiet unum, itemque alterum suppeditasse. Cicero ad fam. IX, 19. *Recta enim a porta domum meam uenit. Neque hoc admiror, quod non ad tuam potius; sed illud, quod nec ad suam. Ego autem tribus primis uerbis: Quid noster Paetus? At ille adiurans, nusquam se unquam libentius. Hoc si uerbis assecutus es, aures ad te afferam non minus*

elegan-

elegantes: sin autem obsonio, peto a te, ne pluris esse Balbos, quam disertos putes. XV, 16. *Nam ne te fugiat, Catius insuper Epicureus, qui nuper est mortuus, quae ille Gargettius, etiam ante Democritus, εἴδωλα, hic spectra nominat. Si enim stomachabere, et moleste feres, plura dicemus, postulabimusque, ex qua haeresi ui hominibus armatis deiectus sis, in eam restituare.* Adiiciemus nos exempla quaedam Enthymematum probantium, eorundemque tum artificialium, tum inartificialium, ex nostra desumpta penu. Cum te me semper cupidissimum, beneuolentissimumque cognorim, non dubito a te petere, ut rationibus meis consulas, prospiciasque. Quo pluribus tibi nominibus obstrictum me sentio, hoc uehementius meliorem istam fortunam, statumque tibi gratulor. Non te fugit, id commune esse omnibus hominibus, hac omnes conditione nasci, ut omnibus fortunae telis uita eorum sit proposita. Quare noli propriam tibi fortunam, ac praecipuam postulare. Cum tuo beneficio gratias referre nequeam, habeo certe immortales, habeboque, dum uiuam. Si feci, tum DEVS O. M. pessimo letho me afficiat. Quem ut testem meae possum innocentiae appellare: ita a te peto, ut, quam offensionis suspicionem de me habes, deponas. Conscius mihi sum, nihil a me factum esse, quod cuiusquam offenderet animum. Quare maiorem in modum te rogo, ne plus falsos apud te rumores, quam conscientiae meae testimonium ualere sinas. XIIX.

XIIX. Vnum etiamnum de Enthymemate Probante dicendum reſtat. Vtut enim partes omnis Enthymematis Antecedens, et Conſequens audiant: tamen haud abſurdum uidetur Antecedens Enthymematis Probantis in epiſtolae contextu connexionem appellari: idque propter officium, quod Antecedens iſtud praeſtat. Nam apte admodum, neque difficulter, Antecedens Fundamentale cum Propoſitione, ſiue Conſequente connectit. Dicique non poteſt, quam et facile, et concinne Propoſitio, et Confirmatio cohaereant, ſi quidem primo loco Antecedens Fundamentale, ſecundo Antecedens Probans, tertio Conſequens utrique commune conſtituatur. Quae res ut documento conſtet, ac uel ipſo iubare meridiano clarius pateſcat, proximis Enthymematum exemplis Antecedentia Fundamentalia praeſtruemus, eademque opera Enthymemata Fundamentalia, et Probantia coniungemus. Conſilio tuo in ingrediendis ſtudiorum rationibus egere uideor. Cum autem te mei ſemper ſtudioſisſimum, cupidisſimumque cognorim, non dubito abs te petere, quod mihi eſt petendum. Nunciatum eſt, te inſigni felicitate auctum eſſe. Cum autem multis tibi rebus deuinctum me ſentiam, merito hinc uenio in laetitiae partem, tibique adeo nouum fortunae munus congratulor. Accepi, te graui calamitate affectum, conſternatumque eſſe. Sed tamen cum malum moerore non modo

 non

non tollatur; sed potius ingrauescat, magnopere te rogo, te ut colligas, uirumque praebeas, sortemque tuam aequo animo feras. Magno tuo beneficio me affectum puto. Tantum id est, ut omnem non modo facultatem, sed plane orationem meam superare uideatur. Quare si ne quidem gratias, quas debeo, agere posse uideor, habeo certe, et habebo, quoad uixero, immortales. Nescio cuius criminis nomine suspectus tibi uideor. Cum autem DEVM, mali uindicem, adiurare possim, nihil a me commissum esse, cuius merito accusari queam, quaeso a te, ut, si quam de me falsam opinionem accepisti, eam a me amotam uelis. De crimine, nescio quo, obiicitur. Vt uero recte factorum conscientia tueri me possum: ita, ut meliorem de me opinionem habeas, etiam atque etiam rogo.

XIX. Vidimus de Enthymemate Fundamentali, pariter ac Probante: de Enthymemate Insinuante similiter uideamus. Est illud, quo scriptor sese in beneuolentiam alicuius insinuat. Estque in ea re multum sane momenti situm. Saepe felicius insinuatione, quam argumentis uel maxime conuincentibus promouetur. Quo diligentius et hoc Enthymema erit et excutiendum, et frequentandum. Neque uero usurpandum in exordiis tantum, et clausulis, id quod uulgus Rhetorum inculcat; sed quoque in ipsis uisceribus orationis: id quod maximus rhetorum, Aristoteles, in arte

Rhe-

Rhetorica, solus nos edocuit. Censet enim, ἤθη, καὶ πάθη miscenda esse λόγοις, idque ideo, ne λόγοι sese mutuo elidant, et uim suam perdant. Cogunt argumenta probantia, ac saepe uel inuitos trahunt lectores. Quapropter, quo plus gratiae habeant, temperanda, emollienda, et ἤθεσι, καὶ πάθεσι, uelut condimentis quibusdam, conspergenda uidentur. Omne autem huiusmodi Enthymema nobis diuisum est in Concilians, et Permouens. Illud a moribus, hoc ab affectibus animi exurgit. Proinde Enthymema Concilians fuerit, in cuius Antecedente afferas extenuationem tui ipsius, excusationem diuturni silentii, breuitatis, aut crebritatis literarum: si accuses silentium, aut breuitatem, tarditatem, uerbositatem literarum: si nuncies, gratas fuisse literas: si laudes lectoris humanitatem, fidem, magnitudinem animi, prudentiam, mansuetudinem, lenitatem, clementiam: denique, si promittas animum gratum, obsequium, seruitium, uotum scriptoris. Addo, solere etiam Enthymemata Insinuantia nonnunquam repeti a rebus aliis, utpote a tempore, occasione. Affectus in genera causarum describi possunt. Ac genus Deliberatiuum ornant: Spes, fiducia, metus, laetitia, tristitia, dolor, gratia, aemulatio; Demonstratiuum: amor, beneuolentia, admiratio; desiderium, indignatio; Iudiciale: ira, odium, lenitas, misericordia, immisericordia, inuidia, contemptus, pudor, impudentia. Igitur ab aliquo horum affe-

ctuum si quod Enthymema ducitur, illud Permouens appellamus.

XX. Cum itaque Enthymemata Insinuantia partim in principio, partim in fine, partim in medio poni possint, ac debeant: idcirco alia initialia, alia finalia, alia media dici possunt. Atque de singulis complura exempla in medium proponemus.

Enthymemata Initialia.

Cicero ad fam. III, 4. *Pridie Nonas Iun. cum essem Brundusii, literas tuas accepi: in quibus erat scriptum, te L. Clodio mandasse, quae illum mecum loqui uelles. Eum sane expectabam, ut ea, quae a te afferret, quamprimum cognoscerem.* 13. *Quasi diuinarem, tali in officio fore mihi aliquando expetendum studium tuum: sic, cum de tuis rebus gestis agebatur, inseruiebam honori tuo.* IV, 10. *Etsi nihil erat noui, quod ad te scriberem, magisque literas tuas iam expectare incipiebam, uel te potius ipsum: tamen, cum Theophilus proficisceretur, non potui nihil ei literarum dare.* V, 19. *Etsi mihi nunquam dubium fuit, quin tibi essem carissimus: tamen quotidie magis id perspicio, extatque id, quod mihi ostenderas quibusdam literis, hoc te studiosiorem in me colendo fore, quam in prouincia fuisses (etsi meo iudicio nihil ad tuum prouinciale officium addi potest) quo liberius iudicium esse posset tuum.* VII, 8. *Scripsit ad me Caesar perhumaniter, nondum te sibi satis esse familiarem propter occupationes suas, sed certe fore. Cui quidem*

dem ego rescripsi, quam mihi gratum esset futurum, si quam plurimum in te studii, officii, liberalitatis suae contulisset. 12. *Mirabar, quid esset, quod tu mihi literas mittere intermisisses.* 13. *Adeone me iniustum esse existimasti, ut tibi irascerer, quod parum mihi constans, et nimium cupidus decedendi uiderere, ob eamque causam me arbitrarere literas ad te iam diu non misisse? Mihi perturbatio animi tui, quam primis literis perspiciebam, molestiam attulit. Neque alia fuit ulla causa intermissionis literarum, nisi quod, ubi esses, plane nesciebam.* 14. *Chrysippus Vettius, Cyri architecti libertus fecit, ut te non immemorem putarem mei. Salutem enim uerbis tuis mihi nunciauit.* IX, 20. *Dupliciter delectatus sum tuis literis, et quod ipse risi, et quod te intellexi iam posse ridere.* XI, 2. *De tua fide, et beneuolentia in nos nisi persuasum esset nobis, non conscripsissemus haec tibi: quae profecto, quando istum animum habes, in optimam partem accipies.*

Finalia.

Cic. ad fam. II, 4. *In hanc sententiam scriberem plura, nisi, te tua sponte satis incitatum esse, considerem: et hoc, quicquid attigi, non feci inflammandi tui causa, sed testificandi amoris mei.* 12. *Tu uelim ad me de omni reip. statu quam diligentissime perscribas. Ea enim certissima putabo, quae ex te cognouero.* III, 1. *Sed idem scribit, meas literas maximum apud te pondus habituras. Id eum ne fallat, etiam atque etiam te rogo.* 2. *Hoc uelim*

 tibi,

tibi persuadeas, si, rationibus meis prouisum a te esse, intellexero, magnam te ex eo, et perpetuam uoluptatem esse capturum. 4. *Quod scribis, tibi manendi causam eam fuisse, ut me conuenires, id mihi, ne mentiar, gratum est.* 13. *Cum haec scribebam, censorem iam te esse, sperabam. Eo breuior est haec epistola, et, ut aduersus magistrum morum, modestior.* VII, 29. *Reliquam spem nullam uideo. Quare ad prima redeo. Sapienter haec reliquisti, si consilio: feliciter, si casu.* IX, 11. *Quod ut facias, te etiam atque etiam rogo, ignoscasque breuitati mearum literarum. Nam et celeriter una futuros nos arbitror, et nondum satis confirmatus sum ad scribendum.* 19. *Me quotidie aliud ex alio impedit. Sed si me expediero, ut in ista loca uenire possim, non committam, ut te sero a me certiorem factum putes.* X. 29. *Tu fac bono animo, magnoque sis, meque tibi nulla in re defuturum esse confidas.* XI, 2. *Non debemus cuiquam uideri nimium uitae cupidi, cum accidere nobis nihil possit sine pernicie, et confusione omnium rerum.* XII, 26. *Pergratnm mihi feceris, si dederis operam, ut is intelligat, meas apud te literas maximum pondus habuisse. Hoc te uehementer, mi Cornifici, rogo.* XVI, 10. *Nostra ad diem dictam fient. Docui enim te, fides ἔτυμον quod haberet.* 25. *Quare, cum in primis tuas desiderem literas, noli committere, ut excusatione potius expleas officium scribendi, quam assiduitate literarum.*

Medla

Media.

IX, 17. *Haec tibi antea non rescripsi, non quod cessator esse solerem, praesertim in literis: sed, cum explorati nihil haberem, nec tibi solicitudinem ex dubitatione mea, nec spem ex affirmatione afferre uolui.* XI, 2. *De te si dubitemus, aut uereamur, simus nostri dissimiles.* 16. *Hoc cum populus Rom. meminerit, me ipsum non meminisse, turpissimum est.* 17. *Sed is ambitus extare uidetur, ut ego omnia pertimescam, totamque petitionem Lamiae mihi sustinendam putem.* XVI, 1. *Et quanquam magni ad honorem nostrum interest, quamprimum ad urbem me uenire: tamen peccasse mihi uideor, qui a te discesserim. Sed quia tua uoluntas ea uidebatur esse, ut prorsus, nisi confirmato corpore, nolles nauigare, approbaui tuum consilium: neque nunc muto, si tu in eadem es sententia. Sin postea, quam cibum coepisti, uideris tibi me posse consequi, tuum consilium est.* Maxime illustre exemplum est V, 19, quippe ubi et Enthymemata, et argumenta insinuantia occurrunt. *Mihi captum consilium iamdiu est* (Antec Fundament.) *de quo* (Enthymema modestiae) *ad te, non quo celandus esses, nihil scripsi antea, sed quia communicatio consilii tali tempore quasi quaedam admonitio uidetur esse officii, uel potius efflagitatio ad coeundam societatem uel periculi, uel laboris. Cum uero* (Connexio) *ea tua sit uoluntas, humanitas, beneuolentia erga me, libenter* (ἦθος gratitudinis) *amplector talem animum; sed ita* (*non enim* (πάθος Verecundiae) *dimittam*

tam pudorem in rogando meum) *si feceris* (Enthymema gratitudinis) *id, quod ostendis, magnam habebo gratiam: si non feceris* (Enthymema Mansuetudinis) *ignoscam: et, alterum timori, alterum mihi te negare non potuisse, arbitrabor.*

XXI. De Enthymemate Probante, iuxta et Insinuante sciendum porro, quod aliud principale, aliud minus principale detur. Illud hactenus iam satis explicatum est: restat minus principale. Est uero Enthymema huiusmodi, quando Antecedenti sua accedit ratio. Haec ratio, cum Antecedente suo conuersa, nouum subministrat Enthymema. Cicero ad fam. IV, 9. Connexio a Glorioso. Reditus tuus erit tibi non inglorius. *Deinde qui finis istius consilii est? Nam adhuc et factum tuum probatur, et, ut in tali re, etiam fortuna laudatur.* Ratio ab Effectis. *Factum, quod et initium belli necessario secutus sis, et extrema sapienter persequi uolueris: fortuna, quod honesto otio tenueris et statum, et famam dignitatis tuae.* Connexio a Non tuto. Ibidem. Non est tutum diutius abesse. *Caput illud est, ut, si ista uita tibi commodior esse uideatur, cogitandum tamen sit, ne tutior non sit.* Ratio a Causa efficiente. *Magna gladiatorum est licentia: sed in externis locis minor etiam ad facinus uerecundia.* VII, 12. Summa epistolae. Factus es Epicureus; Ergo ab hac secta dehortor. Connexio ab Iniusto. Non poteris ius ciuile defendere. *Sed quonam modo ius ciuile defendes?* Ratio a fine sectae Epicureae: Nihil est utilitate pro-

propria praeſtantius. *Cum omnia tua cauſa facias.* Connexio ab Inhoneſto: Nemini fidem ſeruabis. *Vbi porro illa erit formula fiduciae: ut INTER BONOS bene agier?* Ratio iterum a fine ſectae, qui erat utile honeſto praeponere. *Quis enim eſt bonus, qui facit nihil, niſi ſua cauſa?* Connexio ab Iniuſto: Nullum ius ſtatues communium rerum diuiſioni. *Quod ius ſtatues COMMVNI DIVIDVNDO?* Ratio porro a fine: Nam Epicurei ad ſolam uoluptatem propriam reſpiciunt. *Cum commune nihil poſſit eſſe apud eos, qui omnia uoluptate ſua metiuntur.* Connexio ab Impio. Nullum ſtatues iuramentum. *Quomodo autem tibi placebit Iouem lapidem iurare?* Ratio a negatione prouidentiae diuinae: *Cum ſcias, Iouem iratum eſſe nemini poſſe.* Connexio ab Iniuſto; Deſeres populum Vlubranum. *Quid fiet porro populo Vlubrano?* Ratio a fine ſectae, qui erat omnia ſua cauſa facere, et in otio uiuere: *Si tu ſtatueris, πολιτεύεσθαι non oportere.* XI, 12. Vbi Ratio Connexionem ſuam antecedit. Summa eſt epiſtolae: Bellum non confectum, ſed renouatum eſt; Ergo debes opprimere Antonium. Connexio a Turpi. Antonius potuiſſet opprimi, ſi res celerius eſſet acta. *Opprimi potuiſſe, ſi celeritas adhibita eſſet, exiſtimant.* Ratio a Signo. *Ita enim Romam erat nunciatum, ita perſuaſum omnibus, cum paucis inermibus, perterritis metu, fracto animo fugiſſe Antonium.* Eſt etiam, ubi uni Connexioni plures rationes ſubiunguntur. VI, 9. *Cum A. Caecina tanta mihi*

familiaritas, consuetudoque semper fuit, ut nulla maior esse possit. Nam et patre eius, claro homine, et forti uiro, plurimum usi sumus: et hunc a puero, quod et spem mihi magnam afferebat summae probitatis, summaeque eloquentiae, et uiuebat mecum coniunctissime, non solum officiis amicitiae, sed etiam studiis communibus, sic semper dilexi, ut non ullo cum homine coniunctius uiuerem. Ex quo exemplo simul id apparet, quod nonnunquam existat et Rationis Ratio. Damus exemplum aliud: IV. 9. Summa est: Exulas; Ergo reditum in patriam suadeo. Connexio ab Iniucundo. Etsi non uides, tamen audis iniucunda. *Multa uides fortasse, quae nolis: non plura tamen, quam audis quotidie.* Ratio ab Indecoro: Non debes magis contristari rebus uisis, quam auditis. *Non est porro tuum uno sensu solum oculorum moueri: cum idem illud auribus percipias, quod etiam maius uideri solet, minus laborare.* Rationis Ratio a Maiori: Audita uidentur maiora esse, quam uisa. *Quod etiam maius uideri solet.* Ibidem. Connexio a Tuto. Etsi non potes libere loqui, tamen tacere potes. *Dicere fortasse, quae sentias, non licet: tacere plane licet.* Ratio a Necessario: Nam Caesar nullius, nisi suorum consilio utitur. *Omnia enim delata ad unum sunt. Is utitur consilio ne suo quidem, sed suorum.* XI, 16. Summa est: Lamia praeturam petit; Ergo ipsum commendo. Connexio ab Effectu: *Magno praeterea beneficio eius, magnoque merito sum obligatus.* Ratio pariter ab Effectu. *Nam Clodianis temporibus, cum eque-*

equestris ordinis princeps esset, proque mea salute acerrime propugnaret, a Gabinio COS. relegatus est. Rationis Ratio exaggerans: *Quod ante id tempus ciui Rom. Romae contigit nemini.* Aliud. XIV, 2. Quae epistola est mixta, primaeque partis summa est: Breuis sum; Ergo me excuso. Connexio a Molesto: Difficile est nunc longam epistolam scribere. *Nec hoc tempore quicquam difficilius facio.* Ratio a Difficili: Nam non possum sine multis lacrymis scribere. *Ad te uero, et ad nostram Tulliolam, non queo sine plurimis lacrymis scribere.* Rationis Ratio ab Attributo: Vos enim estis miserrimae. *Vos enim uideo esse miserrimas.*

XXII. Videamus quoque breuiter de rationibus Enthymematum Insinuantium. Cicero ad fam. III, 1. Antecedens: Phania, libertus tuus, potest tibi statum reip. accuratissime exponere. *Si ipsa resp. tibi narrare posset, quomodo sese haberet, non facilius ex ea cognoscere posses, quam ex liberto tuo Phania.* Ratio. Est enim homo et prudens, et curiosus. *Ita est homo non modo prudens, uerum etiam, quod iuuet, curiosus.* Consequens: Ergo ille tibi omnia enarrabit. *Quapropter ille tibi omnia explanabit.* Subiungitur sententia, ex Consequente fluens: Atque adeo possum esse et cautior, et breuior. *Id enim mihi et ad breuitatem est aptius, et ad reliquas res prouidentius.* IV, 9. *Etsi perpaucis ante diebus dederam Q. Mutio literas, ad te pluribus uerbis scriptas, quibus declaraueram, quo te animo censerem*

ferem esse oportere, et quid tibi faciendum arbitrarer: tamen, cum Theophilus, libertus tuus proficisceretur, cuius ego fidem erga te, beneuolentiamque perspexeram, sine meis literis eum ad te uenire nolui. Summa est. Theophilus ad te proficiscebatur. Cum autem ille tibi sit beneuolus: Hinc dedi illi ad te literas. Cuius Enthymematis Antecedens occupatione exornatum est. Ceterum idem Enthymema in epistola decima, sed omissa ratione, repetitur. XI, 2. *Non debemus cuipiam uideri nimium uitae cupidi, cum accidere nobis nihil posset sine pernicie, et confusione omnium rerum.* IV, 6. Consequens. Vellem, adfuisses. *Ego uero, Serui, uellem, ut scribis, in meo grauissimo casu adfuisses.* Antecedens: Potuisses enim me consolari. *Quantum enim praesens me adiuuare potueris et consolando, et prope aeque dolendo.* Ratio a Minori. Literae enim tuae id praestiterunt. *Facile ex eo intelligo, quod, literis tuis lectis, aliquantulum acquieui.* Rationis Ratio prior a materia epistolae, nempe a solatiis. *Nam et ea scripsisti, quae leuare luctum possent.* Posterior a Causa impellente interna, nempe a condolentia. *Et in me consolando non mediocrem ipse animi dolorem adhibuisti.* XI, 16. *Permagni interest, quo tibi haec tempore epistola reddita sit: utrum, cum solicitudinis aliquid haberes; an cum ab omni molestia uacuus esses. Itaque ei praecepi, quem ad te misi, ut tempus obseruaret epistolae tibi reddendae.* Summa est. Magni refert, literas opportune reddi. Nam non in tempore redditae offendunt. Ergo

go latori praecepi, ut tempus obſeruaret. Eſt autem Ratio Conſequenti ſuo poſtpoſita, et per comparationem exornata: Quemadmodum intempeſtina ſalutatio nocet; ſic pariter epiſtola intempeſtiua. IX, 20. *Sed cura, ſi me amas, ut ualeas: ne ego, te iacente, bona tua comedam. Statui enim tibi ne aegroto quidem parcere.* XV, 17. *Quid tibi in mentem uenit, inquies? Quia nihil habebam aliud, quod ſcriberem. De rep. nihil ſcribere poſſum. Neque enim, quod ſentio, libet ſcribere.*

XXIII. Contra, ſicut ſaepe Antecedens Probans, iuxta atque Inſinuans, ratione quapiam augetur: ita nonnunquam in Enthymemate pars deſideratur. Quae tamen ſi in Enthymemate Fundamentali non appareat, facile ſubintelligi poteſt. Ita Antecedens in hiſce literis deficit. Cicero ad fam. II, 4. Vbi deeſt hoc: Defendenda eſt reſp. V, 19. Vbi hoc: Sequendae ſunt partes Pompeii. VI, 9. Vbi omiſſum: A. Caecina eget beneuolentia. Conſequens autem in III, 13, ubi Antecedens eſt: Plus reddidiſti, quam accepiſti. *Dicam tamen uere, plus, quam acceperas, reddidiſti.* Quod ipſum amplificatur per diſtributionem. *Quis enim -- reliquum feciſſe?* Inde ſubſequuntur aetiologiae probantes. *Haec mihi -- quae colimus.* Epilogus: *Velim, ita fortuna tuliſſet --- modeſtior.* Apparet, omiſſam eſſe in hoc exemplo Propoſitionem, quae tamen in ipſo Antecedente eſt implicita. Nam agnitio, et confeſſio beneficii, quae hoc loco Antecedens conſtituit,

stituit, est pars, munusque gratiae, quae gratia debebat Consequens efformare. X, 2. Antecedens: Studium meum honori tuo defuit. *Meum studium honori tuo pro necessitudine nostra non defuisset, si aut tuto in senatum, aut honeste uenire potuissem.* Ratio ab Intuto, et Inhonesto. *Sed nec sine periculo quisquam libere de rep. sentiens uersari potest in summa impunitate gladiorum: nec nostrae dignitatis uidetur esse ibi sententiam de rep. dicere, ubi me et melius, et propius audiant armati, quam senatores.* Epilogus. *Quapropter in priuatis rebus --- et salutis, et dignitatis meae.* Deest itaque Propositio, quae excusationem intermissi officii debebat complecti. Multo autem magis Connexio, id est, Antecedens Probans, potest negligi nonnunquam; praesertim, si qua epistola fuerit breuior, cuiusmodi est VII, 22. Vbi, praeter Antecedens Fundamentale, et Consequens, comparet nihil. Antecedens est: *Illuseras heri inter scyphos --- furti agere.* Consequens: *Itaque --- assentior.* Omnium autem maxime non modo pars Enthymematis Insinuantis, sed etiam totum Enthymema Insinuans omitti potest. Itaque nunc Enthymema tale omissum cernitur, nunc parte mancum. Deest, exempli causa totum Enthymema Insinuans XVI, 8. VIII, 12. Ibi Antecedens Fundamentale, hic Consequens principale epistolam auspicatur. Parte mutilum est, sicubi sola sententia siue una, siue plus, quam una conspicitur. VIII, 12. *Pudet me tibi confiteri, et queri de Appii, hominis ingratissimi*

inim-

iniuriis. XI, 12. *Tres uno die a te accepi epistolas: unam breuem, quam Flacco Volumnio dederas: duas pleniores, quarum alteram tabellarius T. Vibii attulit, alteram ad me misit Lupus.* 11. *Eodem exemplo literae a te mihi redditae sunt, quo pueri mei attulerunt. Tantum me tibi debere existimo, quantum persoluere difficile est.* IV, 2. *Tu uero ut intelligas, homini amicissimo te tribuisse officium, re tibi praestabo.* 5. *Quod ad me attinet, cum te tranquilliorem animo esse cognoro, de iis rebus, quae hic geruntur, quemadmodumque se prouincia habeat, certiorem faciam.* V, 1. *Te tam mobili in me, meosque esse animo, non sperabam. Me interea nec domesticus dolor, nec cuiusquam iniuria a rep. abducet.* X, 2. *Quapropter in priuatis rebus nullum neque officium, neque studium meum desiderabis; ne in publicis quidem. Si quid erit, in quo me interesse necesse sit, nunquam deero, ne cum periculo quidem meo, dignitati tuae. In iis autem rebus, quae nihilominus, ego ut absim, confici possunt, peto a te, ut mei rationem habere uelis, et salutis, et dignitatis meae.* XI, 16. *Non tenebo te pluribus. Ponam in extremo, quod sentio: nihil est, Brute, cum omnia a te expectem, quod mihi gratius facere possis.* XIV, 10. *Valetudinem tuam cura diligenter.* XVI, 8. *Ama nos, et uale.*

XXIV. Illud praeterea tenendum, in uno, eodemque Enthymemate saepe animaduerti plura Antecedentia. De Enthymemate Probante res per se patet, et rarissime accidit, ut in uno Enthymemate Probante epistola acquiescat.

ſcat. Quare de Fundamentali, perinde ut Inſinuante, hic praecipue loquimur. Ac duplex quidem Antecedens Fundamentale uidere licet. Cum maxime autem in epiſtolis Nunciantibus plura fere dantur Antecedentia Fundamentalia; idque natura rei. XI, 11. Antec. 1. Scripſi ad te literis proximis, quis eſſet ſtatus rerum. *Scripſi tibi, quae hic gererentur*. Ant. II. Antonius proficiſcitur ad Lepidum in Galliam. *In itinere eſt Antonius: ad Lepidum proficiſcitur.* Ant. III. Antonius ſperat, Plancum ad ſe tranſiturum. *Ne de Planco quidem ſpem adhuc abieci.* Ant. IV. Non dubitaui, quin Plancus eſſet defecturus ad Antonium. *Ego tamen non habui ambiguum.* Ant. V. Miſi quoſdam ad Plancum. *Et ſtatim ad Plancum miſi.* Ant. VI. Expecto legatos ab Allobrogibus, et totius Galliae populis. *Et biduo ab Allobrogibus, et totius Galliae populis legatos expecto.* Ant. VII. Legatos eos confirmabo. *Quos confirmatos domum remittam.* Ceterum Ant. III Connexione firmatur. *Ne de Planco quidem ſpem adhuc abieci, ut ex libellis eius animaduerti, qui in me inciderunt, in quibus quos ad Aſinium, quos ad Lepidum, quos ad Plancum mitteret, ſcribebat.* Subſequitur Conſequens: Rogo, cures, ut Romae omnia fiant ex uoto tuo, et reip. ſalute. *Tu, quae iſtic opus erunt adminiſtrari, proſpicies, ut ex tua uoluntate, reique publ. commodo fiant.* Poteſt id pariter in Inuectiuis accidere. VIII, 12. Vbi adſunt Antecedentia Fundamentalia nouem, cum interſperſis tribus Connexio-

nexionibus: *Qui me odisse:* usque ad uerba: *ab eo petere.* Subsequitur Epilogus, et post eum demum Consequens hocce principale: *A te peto, ut meas iniurias proinde doleas, ut me existimas et dolere, et ulcisci tuas solere.* Conuertimur ad Insinuantia. XV, 18. Vbi Antecedens duplex cum ratione. *Longior epistola fuisset, nisi eo ipso tempore petita esset a me, cum iam iretur ad te: longior etiam, si Φλύαρον aliquem habuisset. Nam σπȣδάζειν sine periculo uix possumus.* II, 8. *Te uero, mi Rufe, diligo, quem mihi fortuna dedit amplificatorem dignitatis meae, ultorem non modo inimicorum; sed etiam inuidorum meorum: ut eos partim scelerum suorum, partim etiam ineptiarum poeniteret.* III, 2. *Pluribus uerbis ad te scriberem, si aut tua humanitas longiorem orationem expectaret; aut id fieri nostra amicitia pateretur; aut res uerba desideraret, ac non pro se ipsa loqueretur.*

XXV. Considerauimus Enthymemata palmaria, diuisa in Fundamentalia, Probantia, et Insinuantia: superest, ut exempla Enthymematum Dispositionis, iuxta atque Amplificationis subiiciamus. Sint primo Enthymemata Transitionis. Cicero ad fam. II, 17. *Vni epistolae respondi: uenio ad alteram.* III, 6. *Hoc ego meo facto ualde delector. Nihil enim potuit fieri amantius. Considera nunc uicissim tuum.* 10. *Sed haec hactenus: pluribus enim etiam fortasse uerbis, quam necesse fuit, scripta sunt. Nunc ea, quae a me profecta, quaeque instituta sunt, cognosce.* VI, 6. *Dixi de Caesare: nunc dicam de temporum, rerumque na-*

tura. X, 28. *Sed illa cognosces ex aliis : a me pauca, et ea summatim.* XIII, 4. *Sed haec, quae scripta sunt supra, eo spectant, ut te horter, et tibi suadeam. Reliqua sunt, quae pertinent ad rogandum : ut non solum tua causa tibi consilium me dare putes, sed etiam, quod mihi opus sit me a te petere, et rogare.* Sint Enthymemata Reiectionis. Cic. II, 3. *Sed aliter, atque ostenderam, facio, qui ingrediar ad explicandam rationem sententiae meae. Quare omnem hanc disputationem in aduentum tuum differo.* III, 8. *Non dicam plura, ne, in quo te obiurgem, id ipsum uidear imitari.* IV, 10. *Sed quoniam, quod mihi placeret, ostendi, reliqua tu pro tua prudentia considerabis.* VI, 6. *Disputarem etiam, quanto solatio tibi conscientia tui facti, quantae delectationi in rebus aduersis literae esse deberent : commemorarem non solum ueterum, sed et horum etiam recentium uel ducum, uel comitum tuorum grauissimos casus : etiam externos multos claros uiros nominarem. Leuat enim dolorem communis quasi legis, et humanae conditionis recordatio. Exponerem etiam, quemadmodum hic, et quanta in turba, quantaque in confusione rerum omnium uiueremus. Necesse est enim minore desiderio perdita rep. carere, quam bona. Sed hoc genere nihil opus est.* Esto Enthymema Reuocationis. IX, 17. *Sed longius progredior : scribo enim ad te.* Sint denique Enthymemata Praecisionis. II, 5. *Sed haec ipsa, nescio, rectene sint literis commissa. Quare cetera cognosces ex aliis.* 6. *Scribam ad te plura alias : paucis enim diebus eram missurus domesticos tabel-*

tabellarios, ut, quoniam satis feliciter, et ex mea sententia remp. gessimus, unis literis totius aestatis res gestas ad senatum perscriberem. VI, 9. *Nihil attinet me plura scribere. Quam mihi necesse sit eius salutem, & fortunam, quibuscunque rebus possim, tueri, uides.*

XXVI. Enthymemata, quae orationem amplificant, etsi sunt rarissima in epistolis: tamen, cum non plane nulla reperiantur, et huiusce generis quaedam adscribemus. Sint primo Enthymemata Digressionis. Cicero ad fam. II, 16. *Nec me ista terrent, quae mihi a te ad timorem fidissime, atque amantissime proponuntur. Nulla est enim acerbitas, quae non omnibus hac orbis terrarum perturbatione impendere uideatur: quam quidem ego a rep. meis priuatis, et domesticis incommodis libentissime, uel istis ipsis, quae tu me mones, ut caueam, redemissem. Filio meo, quem tibi carum esse gaudeo, si erit ulla resp. satis amplum patrimonium relinquam, memoriam nominis mei: sin autem nulla erit, nihil accidet ei separatim a reliquis ciuibus. Nam quod rogas, ut respiciam generum meum, adolescentem optimum, mihique carissimum: an dubitas, cum scias, quanti cum illum, tum uero Tulliam meam faciam, quin ea me cura uehementissime solicitet? et eo magis, quod in communibus miseriis hac tamen oblectabar specula, Dolabellam meum, uel potius nostrum, fore ab iis molestiis, quas liberalitate sua contraxerat, liberum. Velim quaeras, quos ille dies sustinuerit, in urbe dum fuit, quam acerbos sibi, quam mihi ipsi socero non hone-*

honestos. Itaque neque ego hunc Hispaniensem casum expecto, de quo mihi exploratum est ita esse, ut tu scribis: neque quicquam astute cogito. Siquando erit ciuitas, erit profecto nobis locus: sin autem non erit, in easdem solitudines tu ipse (ut arbitror) uenies, in quibus nos consedisse audies. IV, 9. *Omnia sunt misera in bellis ciuilibus, quae maiores nostri ne semel quidem, nostra aetas saepe iam sensit: sed miserius nihil, quam ipsa uictoria: quae etiamsi ad meliores uenit, tamen eos ipsos ferociores, impotentioresque reddit: ut, etiamsi natura tales non sint, necessitate esse cogantur. Multa enim uictori eorum arbitrio, per quos uicit, etiam inuito facienda sunt.* Sit secundo Enthymema Amplians. IV, 10. *Cura igitur, ut quamprimum uenias. Venies enim, crede mihi, expectatus: neque solum nobis, id est, tuis, sed prorsus omnibus.* Sit tertio Enthymema Exempli. VII, 9. *Sin tibi quaedam uidebuntur obscuriora, cogitare debebis, nullam artem literis, sine interprete, et sine aliqua exercitatione percipi posse. Non longe abieris. Num ius ciuile uestrum ex libris cognosci potest? Quanquam plurimi sunt, doctorem tamen nonnunquam desiderant.* Huiusmodi Enthymema est etiam in extremo epistolae 12 libri V. Initium est: *Neque autem ego sum ita demens, ut me sempiternae gloriae per eum commendari uelim, qui non ipse quoque in me commendando propriam ingenii gloriam consequatur.* Finis: *Placet enim Hector ille mihi Naeuianus, qui non tantum laudari se laetatur, sed addit etiam, a laudato uiro.* Sit quarto Enthymema Testimonii. VII, 22.

Ita-

Itaque, etsi domum bene potus, seroque redierim, tamen id caput, ubi haec controuersia est, notaui, et descriptum tibi misi, ut scires, id, quod tu neminem sensisse dicebas, Sext. Aemilium, M. Manilium, M. Brutum sensisse. Ego tamen Scaeuolae, et Testae assentior. Sint quinto Enthymemata Correctionis. II, 16. *Sed ego fortasse hallucinor, et haec omnia meliores habebunt exitus. Recordor enim desperationes eorum, qui senes erant adolescente me. Eos ego fortasse nunc imitor, et utor aetatis uitio.* XI, 8. *Romae delectus habetur, totaque Italia: si hic delectus appellandus est, cum ultro se offerunt omnes.* Sit sexto Enthymema Praeteritionis. II, 3. *Meam quidem sententiam aut scribam ad te pluribus, aut, ne ad eam meditere, imperatum te offendam, coramque contra istam rationem meam dicam: ut aut te in meam sententiam adducam, aut certe testatum apud animum tuum relinquam, quid senserim: ut, si quando (quod nolim) displicere tibi tuum consilium coeperit, possis meum recordari. Breui tamen sic habeto: in eum statum temporum tuum reditum incidere, ut iis bonis, quae tibi natura, studio, fortuna data sunt, facilius omnia, quae sunt amplissima in rep. consequi possis, quam muneribus: quorum neque facultatem quisquam admiratur (est enim copiarum, non uirtutis) neque quisquam est, quin satietate iam defessus sit. Sed aliter, atque ostenderam, facio, qui ingrediar ad explicandam rationem sententiae meae. Quare omnem hanc disputationem in aduentum tuum differo.* Sit denique Enthymema Epiphonematicum. V, 2. *Quare non ego oppugnaui fra-*

trem tuum; sed fratri tuo repugnaui: nec in te, ut scribis, animo fui mobili; sed ita stabili, ut in mea erga te uoluntate, etiam desertus ab officiis tuis, permanerem.

XXVII. Vnum etiamnum, quod iam supra memineramus, exemplis illustrandum restat. Est enim Enthymema aliud ordinatum, aliud inuersum. Etsi autem utriusque exempla copiosa iamdum hactenus data, et inter se permixta fuerunt: tamen separatim nonnihil etiamnum de Enthymematis inuersis trademus. Ac Fundamentalia quidem eius generis longe sunt paucissima, ac ferme nulla. Neque enim, nisi tunc fiunt, ubi Consequens principale Antecedenti Fundamentali praestruitur. Quae ratio ut expectationi naturali quam maxime aduersatur, hinc fit rarissime, ut eius generis exempla offendantur. Neque tamen eo secius unum, itemque alterum paulo inferius, ubi de dispositionis uarietate agendi locus erit, afferemus. Probantia autem sunt perfrequentia: quippe quae occurrunt, ubicunque literae uulgari ratione sunt compositae. Quorsum, exempli causa, pertinent duae illae elegantes epistolae libri quarti Ciceronis ad familiares, quarum una est Consolatoria ob mortem Tulliae; altera autem responsio ad eandem. In his etenim, et similibus, Consequens principale, Connexionibus praepositum, non alia, praeterquam conuersa Enthymemata relinquit. Insinuantia inuersa cum ordinatis eiusdem generis certa-

re numero uidentur. Libetque horum nonnulla, praeter hactenus adducta, commemorare. Initialia. Cic. ad fam. VII, 12. *Mirabar, quid esset, quod tu mihi literas mittere intermisisses.* 14. *Chrysippus Vettius, Cyri, architecti libertus, fecit, ut te non immemorem putarem mei. Salutem enim uerbis tuis mihi nunciauit.* Finalia. II, 11. *Tu uelim ad me de omni reip. statu quam diligentissime perscribas. Ea enim certissima putabo, quae ex te cognouero.* XI, 2. *Non debemus cuiquam uideri nimium uitae cupidi, cum accidere nobis nihil possit sine pernicie, et confusione omnium rerum.* Media. IX, 17. *Haec tibi antea non rescripsi, non quod cessator esse solerem, praesertim in literis: sed, cum explorati nihil haberem, nec tibi solicitudinem ex dubitatione mea, nec spem ex affirmatione afferre uolui.* XIV, 16. *Apertius scribi, quando ad illum scripseram, necesse non fuit.* Enthymemata Dispositionis, et Amplificationis inuersa hoc loco repetere supersedemus.

XXIIX. Iam ex Enthymemate Fundamentali, Probante, et Insinuante, consurgit Dispositio epistolae Enthymematica. Ac primo Insinuans initia, et conclusiones exornat: quanquam, uti ex supra dictis constat, neque ipsam Confirmationem dedeceant. Fundamentale autem, et Probans, Enthymemata, ex Propositione, et Confirmatione, inter se conuersis, enascuntur. Veruntamen non putandum, ordinem, hactenus praescriptum, semper obseruari. Quemadmodum enim Enthymema inuersum

in omni genere Enthymematum occurrit: sic liquet, μέθοδον Enthymematicam neglectam saepius iacere, atque eo ipso Dispositionem uulgarem seruari. Neque haec ipsa, utut Enthymematica sit praestantior, prorsus, & omnino reiici meretur, dummodo omnia, et singula aptis transituum formulis concinne connexa esse uideantur. Quae quidem res quo luculentius patescat, de utraque Dispositione, uulgari, et Enthymematica, nonnihil etiamnum attingemus. Dispositionis uulgaris sunt partes hae: Exordium, Propositio, Confirmatio, et Conclusio; Dispositionis autem Enthymematicae: Exordium, Antecedens, Connexio, Consequens, Epilogus. Accedat Dispositionis utriusque exemplum, ut ordinis utriusque differentia uel ipso iubare clarius meridiano oculos perstringat.

Exemplum Dispositionis uulgaris.

Nequeo celare gaudium, quod ex nuncio cepi exoptato. Quantum uero mihi gaudeo, tantum tibi gratulor. Est enim allatum, te honores meritissimos adeptum. Cepisti fructum laboris destinatum: cepisti praemium uirtute tua dignum: cepisti decus, quod boni certatim omnes sicut olim sunt apprecati, ita hodie congratulantur. Quod ut proprium tibi esse iubeat Deus immortalis, iuxta ac nouis identidem felicitatis accessionibus te auctum uelit, tota cogitatione cupio.

Exem-

Exemplum Dispositionis Enthymematicae.

Tantam laetitiam, uoluptatemque cepi, quantam animus uix capit. Cepi autem ex eo nuncio, qui, te auctum felicitate, attulit. Quam sicut uirtus tua meruit: ita boni certatim omnes tibi gratulantur. Prae ceteris egomet debeo, qui; si quisquam alius, tibi obstrictus uideor. Ne igitur non minus tuae erga me beneuolentiae oblitus, quam in tua merita iniquus uidear, nouam tibi felicitatem uehementer congratulor. Vt uero incrementa eius maxima uirtus tua promeretur: ita Deum religiose ueneror, ut aliis super aliis fortunarum accessionibus te cumulet, saluumque semper praestet, diuque conseruet.

XXIX. Patet, opinor, ex ipsis hisce exemplis, quod Dispositio uulgaris aliquid asciti, et affectati habere uideatur. Quod ipsum ut emolliatur, saepe contingit, ut Propositio post Confirmationem per Epiphonema quoddam repetatur. Cicero ad fam. IV, 10. *Cura igitur, ut quamprimum uenias.* Et, post argumenta probantia: *Putaui, ea de re te esse admonendum.* XI,16. *Quapropter persuade tibi, mi Brute, me petere praeturam.* Et: *Mitte ad Lupum nostrum, ut is nobis eas centurias conficiat.* XVI, 8. *Attamen, quanquam uidere te tota cogitatione cupio: tamen te penitus rogo, ne te tam longae nauigationi, et uiae, per hyemem, nisi bene firmum committas: neue nal-*

uiges, nisi explorate. Et: *Effice, si me diligis, ut ualeas, et ut ad nos firmus, ac ualens quamprimum uenias.* Immo uero solet et in mediis Connexionibus Consequens repeti. III, 4. *Meum studium erga te, et officium, tametsi multis iam rebus spero tibi esse cognitum: tamen in iis maxime declarabo, quibus plurimum significare potuero, tuam mihi existimationem, et dignitatem carissimam esse.* Et: *Mea in te omnia necessitudinis officia constabunt.* Denique, post repetitum etiam in fine Antecedens, potest Consequens repeti, quod Consequens modo Antecedenti praecesserat. X, 4. Consequens. *Quare hoc unum tibi persuade, quantum uerbis eniti, consilio prouidere, auctoritate monere potuero, hoc omne reip. semper futurum.* Antecedens: *Non est ignotus mihi sensus tuus.* Epiphonema Consequentis: *Neque si facultas, optabilis mihi quidem, tui praesentis esset, unquam a tuis consiliis discreparem: nec nunc committam, ut ullum meum factum reprehendere iure possis.* Ceterum ex hac eadem Tullii epistola animaduertamus, licet, quod, tametsi rarissime, et ipsum Antecedens soleat per ἐπιφώνημα repeti. *Quare si aut aliter sentirem, certe admonitio tua me reprimere: aut, si dubitarem, hortatio impellere posset, ut id sequerer, quod tu optimum putares.* Et: *Non est ignotus mihi sensus tuus.*

XXX. Absoluimus modos disponendae epistolae principales, praeter quos extant complures, quos uoluptas uarietatis adinuenit. Iuuatque modos omnes, ac singulos, iunctim re-

prae-

praesentare, proinde ut exemplis, ex Cicerone depromptis, illustratos dare. Sunt autem modi fere hi.

Modus I.

Exordium, Propositio, Confirmatio, Epilogus. Cicero ad fam. III, 2. Exordium. *Cum et contra --- nunquam fallet.* Propositio : *A te --- rationibus meis.* Confirmatio : *Vides mihi --- ualde rogo.* Epilogus : *Pluribus uerbis --- esse capturum.* IV, 9. Vbi adest et Confutatio, et Confirmatio. Exordium : *Etsi per paucis --- uenire nolui.* Propositio : *Iisdem igitur --- uelis esse.* Confutatio : *Multa uidebis fortasse --- dignitatis tuae.* Confirmatio : *Nunc uero --- uerecundia.* Epilogus : *Mihi salus tua --- fortunis tuis.* Huc pertinet pars posterior epistolae quintae libri quarti, quae pars est Consolatoria. Exordium : *Etsi genus --- perspicias.* Propositio : *Quid est --- intestinus ?* Confirmatio : *Cogita --- uideatur deesse.* Epilogus ; *Quod ad me --- certiorem faciam.*

Modus II.

Exordium, Antecedens, Connexio, Consequens, Epilogus. V, 1. Exordium. *Si uales, bene est.* Antecedens : *Existimaram --- me desertum.* Connexio : *A quibus --- administrastis.* Consequens : *Non erit mirandum, si uos poenitebit.* Epilogus : *Te tam mobili --- abducet.* VII, 12. Exordium : *Mirabar --- intermisisses.* Antecedens : *Indicauit --- esse factum.* Connexio : *O castra*

castra --- non oportere? Consequens: *Quare --- ignosco.* Epilogus: *Modo scribas --- uelis.*

Modus III.

Exordium, Antecedens, Consequens, Connexio, Epilogus. Huc pertinet pars prior epistolae quintae libri quarti, estque pars illa condolens, et *ἀκέφαλος*. Analysis est haec. Antecedens. Mortua est filia tua. Consequens: Ergo doleo. Connexio a Necessario: Calamitas amicorum est communis. Enthymema finale: Non adfui, adeoque dolorem meum coram indicare non potui. Finis est: *tibi declarassem.*

Modus IV.

Exordium, Antecedens, Connexio, Consequens, Connexio, Epilogus. VII, 19. Exordium: *Vide --- non potui.* Antecedens: *Itaque --- conscribere.* Connexio: *Ab ipsa urbe commonitus, amantissima tui.* Consequens: *Eum librum --- scribi potuit.* Connexio, exornata per Occupationem: *Sin tibi --- consequere.* Epilogus. *In qua --- offenderimus.* XI, 2. Exordium: *De tua --- accipies.* Antecedens: *Scribitur nobis --- maiorem.* Connexio: *De te --- pertineret.* Consequens: *Quare petimus --- fore.* Connexio: *In tanta --- retineri posse.* Epilogus: *Rescribas --- omnium rerum.*

Modus V.

Exordium, Connexio, Antecedens, Consequens, Connexio, Epilogus. I, 1. Exordium: *Ego*

Ego omni officio --- satisfacio. Connexio: *Tanta enim --- conquiesti.* Antecedens: *Ego quia --- efficio.* Consequens: *Vitam mihi acerbam putem.* Connexio: *In causa haec sunt --- ita uersamur.* Epilogus: *Nostram ---- laboraremus.*

Modus VI.

Exordium, Antecedens, Connexio, Consequens, Connexio, Consequens, Epilogus. XI, 16. Exordium: *Permagni interest --- impetraturum.* Antecedens: L. *Lamia praeturam petit.* Connexio: *Hoc ego --- turpissimum est.* Consequens: *Quapropter --- praeturam.* Connexio: *Quanquam enim --- regnas.* Consequens: *Mitte --- conficiat.* Epilogus: *Non tenebo --- facere possit.*

Modus VII.

Exordium, Connexio, Antecedens, Connexio, Consequens, Connexio, Epilogus. X, 3. Exordium: *Cum ipsum --- esse communem.* Connexio: *Omnia summa --- audies.* Antecedens: *Omnem tibi --- acquires.* Connexio: *Scis profecto --- uirorum talium.* Consequens: *Incumbe --- gloriam afferat.* Connexio: *Vnus autem --- ad gloriam.* Epilogus. *Haec amore magis --- curabo.*

Modus VIII.

Exordium, Consequens, Antecedens, Connexio, Epilogus. XI, 8. Exordium: *Eo tempore --- nunciabatur.* Consequens: *Haec tamen scribenda existimaui.* Antecedens I. *Primum --- digni-*

dignitatis tuae. Connexio: *Admirabilis — liberaturum.* Antecedens: II. *Romae — diutinae seruitutis.* Epilogus: *De reliquis rebus — dignitati tuae.*

Modus IX.

Exordium, Connexio, Consequens, Antecedens, Epilogus. X, 4. Exordium: *Gratissimae — mutui amoris.* Connexio: *Quare, mi Cicero — uideantur.* Consequens: *Quare hoc unum — semper futurum.* Antecedens: *Non est ignotus mihi sensus tuus.* Epiphonema Consequentis. *Neque si — iure possis.* Epilogus: *Sum in expectatione — satisfacio.*

Modus X.

Exordium, Connexio, Consequens, Antecedens, Connexio, Epilogus. VII, 8. Exordium: *Scripsit ad me — contulisset.* Connexio. *Sed ex tuis — festinationem tuam.* Consequens: *Et simul sum admiratus.* Antecedens: *Cur tribunatus commoda neglexeris.* Connexio: *Dempto praesertim labore militiae.* Epilogus: *Querar — literas expecto.*

XXXI. Reliquum est, ut partes Dispositionis uulgaris, et Enthymematicae, inter sese conciliemus. Exordium, et Epilogus nomen seruant utrobique. Deinde necesse non est, ut illae partes sint Enthymematicae, etiamsi sint in epistola Enthymematica. Est haec nihilominus Enthymematica, si neutra illarum partium Enthymema contineat. Satis est, si Propositio,

et

et Confirmatio in formam Enthymematis sint redactae. Neque epistola Enthymematica a partibus minus principalibus, sed a principalibus nomen habet. Ceterum partes secundariae uel prorsus, atque omnino abesse possunt: si que adsunt, non minus unica sententia, aut Chria, quam Enthymemate, constare. Porro possunt eaedem illae partes esse Enthymematicae in Dispositione uulgari. Quemadmodum enim, si tales non sunt, epistola Enthymematica ideo non desinit esse Enthymematica: ita, si sunt Enthymematicae, epistola uulgaris ideo nomen suum non mutat, neque nomen Enthymematicae induit. Atque exempla nunc subiiciamus cum Exordiorum, tum Epilogorum, in quibus uel sententia, uel Chria, uel utrumque detur.

Exempla Exordiorum.

Cicero ad fam. IIX, 12. Sententia. *Pudet me tibi confiteri, et queri de Appii, hominis ingratissimi iniuriis.* VII, 14. Chria. *Chrysippus Vettius, Cyri, architecti libertus, fecit, ut te non immemorem putarem mei. Salutem enim uerbis tuis mihi nunciauit.* IX, 20. *Dupliciter delectatus sum tuis literis: et quod ipse risi, et quod te intellexi iam posse ridere. Me autem a te, ut scurram uelitem, malis oneratum esse, non moleste tuli.* X, 33. Chria, et duplex Sententia. *Quo tardius certius fierem de praeliis, apud Mutinam factis, Lepidus effecit, qui meos tabellarios nouem dies retinuit: tametsi tantam calamitatem*

tatem reip. quam tardissime audire optandum est: sed illis, qui prodesse nihil possunt, neque mederi.

Exempla Epilogorum.

Cic. ad fam. IV, 5. Sententia. *Quod ad me attinet, cum te tranquilliorem animo esse cognoro, de iis rebus, quae hic geruntur, quemadmodumque se prouincia habeat, certiorem faciam.* XI, 8. Duplex Sententia. *Quos spero breui tempore societate uictoriae tecum copulatos fore. Reliquum est, ut de me id scribam, quod te ex tuorum literis et spero, et malo cognoscere: me neque deesse ulla in re, neque unquam defuturum dignitati tuae.* IX, 20. Chria. *Sed cura, si me amas, ut ualeas: ne ego, te iacente, bona tua comedam.* X, 33. Chria duplex. *Itaque proximis literis consilium meum expedietur. Nam neque deesse, neque superesse reip. uolo. Maxime tamen doleo, adeo et longo, et infesto itinere ad me ueniri, ut die quadragesimo post, aut ultra etiam, quam facta sunt, omnia nuncientur.* I, 1. Sententia, et Chria. *Nostram in te fidem omnes, amorem tui absentis praesentes cognoscent. Si esset in iis fides, in quibus summa esse debebat, non laboraremus.* IIX, 12. Duae Chriae, et duae Sententiae. *Conturbat me mora serui huius, qui tibi literas attulit. Nam, acceptis prioribus literis, amplius quadraginta dies mansit. Quid tibi scribam, nescio: scis, Domitio diem timori esse. Expecto te ualde, et quamprimum uidere cupio. A te peto, ut meas iniurias proinde doleas, ut me existimas et dolere, et ulcisci tuas solere.* IV, 6. Chria triplex. *Quo magis te expecto, teque*

teque uidere quamprimum cupio. Maior mihi leuatio afferri nulla potest, quam coniunctio consuetudinis, sermonumque nostrorum; quanquam sperabam, tuum aduentum (sic enim audiebam) appropinquare. Ego autem cum multis decausis te exopto quamprimum uidere: tum etiam, ut ante commentemur inter nos, qua ratione nobis traducendum sit hoc tempus, quod est totum ad unius uoluntatem accommodatum, et prudentis, et liberalis, et (ut perspexisse uideor) nec a me alieni, et tibi amicissimi. Quod cum ita sit, magnae tamen est deliberationis, quae ratio sit ineunda nobis, non agendi aliquid; sed illius concessu, et beneficio acquiescendi.

XXXII. Contra, quemadmodum Exordia, et Epilogi, possunt esse tam non Enthymematica, quam Enthymematica: sic eadem saepe plus, quam unum Enthymema; aut plus, quam Enthymema, comprehendunt. Cicero ad fam. XI, 16. Duplex Enthymema. *Permagni refert, quo tibi haec tempore epistola reddita sit: utrum, cum solicitudinis aliquid haberes; an, cum ab omni molestia uacuus esses. Itaque ei praecepi, quem ad te misi, ut tempus obseruaret epistolae tibi reddendae. Nam quemadmodum, coram qui ad nos intempestiue adeunt, molesti saepe sunt: sic epistolae offendunt, non loco redditae. Si autem, ut spero, nihil te perturbat, nihil impedit, et ille, cui mandaui, satis scite, et commode tempus ad te cepit adeundi, confido, me, quod uelim, à te facile impetraturum.* III, 1. Enthymema, et Sententiae duae. *Si ipsa resp. tibi narrare posset, quomodo sese haberet, non facilius ex ea*

cognoscere posses, quam ex liberto tuo Phania. Ita est homo non modo prudens; uerum etiam, quod iuuet, curiosus. Quapropter ille tibi omnia explanabit. Id enim mihi et ad breuitatem est aptius, et ad reliquas res prouidentius. De mea autem beneuolentia erga te etsi potes ex eodem Phania cognoscere: tamen uidentur etiam aliquae meae partes. II, 18. Enthymema, et Chria. *Officium meum erga Rhodonem, ceteraque mea studia, quae tibi, ac tuis, praestiti, tibi, homini gratissimo, grata esse, uehementer gaudeo: mihique scito indies maiori curae esse dignitatem tuam: quae quidem a te ipso integritate, et clementia tua sic amplificata est, ut nihil addi posse uideatur.* IV, 6. Chria, et Enthymema. *Ego uero, Serui, uellem, ut scribis, in meo grauissimo casu affuisses. Quantum enim praesens me adiuuare potueris, et consolando, et prope aeque dolendo, facile ex eo intelligo, quod, literis tuis lectis, aliquantulum acquieui. Nam et ea scripsisti, quae leuare luctum possent, et in me consolando non mediocrem ipse animi dolorem adhibuisti. Seruius tamen tuus omnibus officiis, quae illi tempori tribui potuerunt, declarauit, et quanti ipse me faceret, et quam suum talem erga me animum tibi gratum putaret fore: cuius officia iucundiora scilicet saepe mihi fuerunt, nunquam tamen gratiora.* III, 2. Enthymema, Chria, et uicissim Enthymema. *Cum et contra uoluntatem meam, et praeter opinionem accidisset, ut mihi cum imperio in prouinciam proficisci necesse esset: in multis, et uariis molestiis, cogitationibusque meis, haec una consolatio occurrebat, quod neque tibi amicior, quam ego sum, quisquam posset succedere, neque*

ego

ego ab ullo prouinciam accipere, qui mallet eam mibi quam maxime aptam, explicatamque tradere. Quodsi tu quoque eandem de mea uoluntate erga te spem habes, ea te profecto nunquam fallet.


Epilogi.

Cicero ad fam. III, 4. Enthymema duplex. *Sed si Clodium conuenero, ex illius sermone ad te scribam plura, et ipse operam dabo, te ut quamprimum uideam. Quod scribis, tibi manendi causam eam fuisse, ut me conuenires, id mihi, ne mentiar, gratum est.* IV, 10. Enthymema, et Sententia. *Sed quoniam, quod mihi placeret, ostendi, reliqua tu pro tua prudentia considerabis. Me tamen uelim, quod ad tempus te expectemus, certiorem facias.* XV, 18. Sententia, Enthymema, Sententia. *De Hispania nihil adhuc certi, nihil omnino noui. Te abesse, mea causa moleste fero: tua gaudeo. Sed flagitat tabellarius.* X, 9. Sententiae duae, et Enthymema. *Sum in expectatione omnium rerum, quid in Gallia citeriore, quid in urbe Ianuario mense geratur, ut sciam. Interim maximam hic solicitudinem, curamque sustineo, ne inter aliena uitia hae gentes nostra mala suam putent occasionem.* V, 2. Chriae duae, et Enthymema unum. *Ego dolori tuo summam laudem tribuo. Meus enim me sensus, quanta uis fraterni sit amoris, admonet. A te peto, ut tu quoque aequum te iudicem dolori meo praebeas, si acerbe, si crudeliter, si sine causa sum a tuis oppugnatus: ut statuas, mihi non modo non cedendum; sed etiam tuo, atque ex-*

ercitus tui auxilio in eiusmodi causa utendum fuisse. Ego te mihi semper amicum esse uolui, me ut tibi amicissimum esse intelligeres, laboraui. Maneo in uoluntate, et, quoad uoles tu, permanebo: citiusque amore tui fratrem tuum odisse desinam, quam illius odio quicquam de nostra beneuolentia detrahatur.

XXXIII. Parum itaque refert, quomodo sese Exordium, et Epilogus habeant: contra plurimum, quomodo Propositio, et Confirmatio. De harum proinde conciliatione partium uideamus. Et Confirmatio quidem est nihil aliud, quam partim Antecedens, partim Connexio. Est enim Confirmatio natura duplex: una generalis; altera specialis. Illa seruat nomen Antecedentis: haec uero Connexio appellatur. Ex quo intelligitur, Confirmationem ab Antecedente, et Connexione, nulla re alia, praeterquam nomine, differre. Haec enim duo Confirmationem constituunt, eiusdemque genera distincte repraesentant. Deinde Propositio est in epistola id ipsum, quod dicitur Consequens. Quotiescunque igitur Confirmatio praecedit, et Propositio consequitur, haec transpositio partium salutatur Enthymematica. Efficit autem ea collocatio non unum, sed duo Enthymemata. Vt enim Confirmatio uariat: sic ipsum Confirmationis Enthymema. Aliud proinde Fundamentale, aliud Probans est. Illud per Antecedens, et Con-

Conſequens: hoc autem per Connexionem, et idem Conſequens efficitur. Verbo: Eſt Diſpoſitio Enthymematica conuerſio Propoſitionis, et Confirmationis. Tum ipſa Diſpoſitio uulgaris, et Diſpoſitio Enthymematica, nulla inter ſeſe re differunt alia, quam partim ſitu partium, partim nominibus earundem. Enthymema adeo Fundamentale, et Enthymema Probans, Confirmationem, et Propoſitionem exhibent: ceterum Inſinuans ad Exordium, Epilogumque ſpectat: quanquam ſaepe etiam ipſi Confirmationi inſeratur.



LIBER SECVNDVS, CONTINENS ENTHYMEMATA, DISPOSITIONES ENTHYMEMATICAS, ET EXEMPLA ENTHYMEMATICA EPISTOLICA.

PARS PRIMA, DE EPISTOLIS GENERIS DELIBERATIVI.

CVm de caussarum generibus, tum de earundem formis uniuersè aliquid monemus. Vulgo tria caussarum genera ponuntur, quae tamen rem omnem non exhauriunt. Nec enim omnes, ac singulae epistolarum formae eo reuocari possunt. Quod qui faciunt, diuersa, et inter se distincta miscent, atque confundunt. Multae dantur literae, quibus nec uel laudamus, uel uituperamus; nec uel suademus, uel dissuademus; nec denique uel accusamus, uel defendimus. Quare nonnulli, in his Des. Erasmus Roterodamus, *genus quartum, idemque familiare, adiungunt. Neque male. Veruntamen ne genera quidem ista quatuor negotium penitus, atque omnino conficiunt. Alii, interque hos* Dauid Chytraeus, Matthaeus Dresserus, Conradus Theodoricus, *totidem pariter statuunt quidem genera,*

sed

ſed tamen quartò loco Didaſcalicum conſtituunt. Nos autem illa omnia coniungimus, et genera adeo quinque cauſarum facimus, et, ad illa quaſuis literarum formas referri poſſe, exiſtimamus. Genus ceteroquin Deliberatiuum, ſecus, quam uulgo fieri conſueuit, primo locamus loco, cum et iſtius generis literae cummaxime ſint neceſſariae, et ſaepisſime frequententur. Sicut autem genera, uulgo tradita, non ſufficiunt: ita nec formae generum. Quapropter, ne et harum oriatur confuſio, nouas aliquot inuenire placuit: Commonitoriam, ἐπιβατήριον, Dantem negotium, Obſequioſam, Familiarem, Ciuilem, Inanem. Atque, has ipſas formas a ceteris omnibus ſeparatas eſſe, ſatis Enthymemata illarum Fundamentalia euincunt. Vbi autem talia ſunt diſtincta, ibi etiam ſpecies epiſtolarum ipſas diſtinctas inter ſeſe oportet eſſe. Atqui dantur in iis, quas modo diximus, epiſtolis Enthymemata eiusmodi Fundamentalia, quae ab Enthymematis aliis omnibus multum diſſidere uidentur, quemadmodum id ſuo loco pluribus fiet manifeſtum. His ita praemonitis, a Genere exorſi Deliberatiuo, haſce illi epiſtolarum ſpecies aſſignamus: Petitoriam, Supplicem, Commonitoriam, Monitoriam, Hortatoriam, Dehortatoriam, Suaſoriam, Diſſuaſoriam, Communicatoriam, Commendatitiam, Conciliatoriam, Dedicatoriam, Teſtificatoriam, Conſolatoriam. Cum enim hoc genus ſuadendo, et diſſuadendo occupetur, horum alterutrum in omnibus, quas nominauimus, formis deprehendas, licet. Nam, qui petit, aut ſupplicat, is ſuadet officium, aut beneficium: qui communicat, is conſilium: qui commoneſacit, ſuadet praeſtatio-

stationem promissi : qui monet, uel hortatur, suadet id, de quo admonet, et ad quod exhortatur : qui conciliat, suadet amorem sui ; alterius contra, qui commendat, aut testimonium perhibet : si quis dedicat, suadet acceptionem muneris : denique, si quis consolatur, is dolorem nimium, luctumue dissuadet. Ceterum affectus spei, et misericordiae, in primis in hoc genere dominantur. Ille a uoluntate, et facultate alterius : hic ab inopia, uel miseria deriuatur. Iamque ad generis formas progredimur, et ab epistola petitoria exordimur.

CAPVT I, DE EPISTOLIS PETITORIIS.

Est haec epistola, qua aliquid fieri, aut non fieri petimus. Est autem Petitoria alia aperta, alia obliqua. Vbi causa est fauorabilis, aperte suademus, praestandum esse id, quod petimus : ubi secus, per ἔφοδον in petitionem irrepimus, et insinuationem adeo petitioni praemittimus. Fit hoc sigillatim, ubi uel ab ignotis aliquid petimus; uel rem magnam, aut difficilem; uel cuius suppudet, petimus. Illic, et istic conciliatione beneuolentiae : hic excusatione opus. In conciliatione hominis ignoti allegabitur parentum, aut maiorum nostrorum, culta cum parentibus, maioribusue alterius, amicitia; aut horum in illos officia, et merita. Item laudabitur naturalis benignitas alterius iuuandi etiam ignotos. Quo loco dici poterit, non fugere nos, quam sit improbum petere aliquid ab eo, qui sit ignotus, aut de quo nihil unquam pro-

promeriti ſimus : ſed tamen nobis non mediocrem affulgere ſpem ab illius benignitate, qua ſoleat ignotis etiam, aut indignis opitulari. In petitione rei magnae, aut difficilis, partim exaggerabitur, quanta nos circumſtet neceſſitas, et quam durum hoc ſit telum, quamque inutilis pudor uiro egenti : partim laudabitur aliquis propter eximiam ingenii bonitatem, ad ſubleuandas omnium miſerias propenſi. Excuſatio audaciae inſtituetur uel a translatione eiusdem in incentorem ſcriptionis : uel a loco communi, aut ſententia uetuſta : uel a gratiarum actione pro officio, aut beneficio priſtino, quamlibet peruetuſto. Exempla petitionis obliquae ſunt apud Ciceronem ad fam. L. V. ep. 12, *qua Tullius petit, ut, quae in conſulatu ſuo ipſe geſſiſſet, Luceius uelit literis conſignare*; ad Attic. X, 8. *qua Antonius a Cicerone petit, ut Caeſari ſe coniungat*; 9, *qua Caeſar poſtulat, ut, re iam inclinata, omni Pompeianarum partium ſtudio abſtineat. Ceterum materia petitionis generatim erit beneficium, aut officium quodcunque; ſpeciatim, exempli cauſa, ſubſidium, mutuum, commodatum, dignitas, gradus honoris, ſtatio publica, ſtatio priuata, commendatio ſui, uſus bibliothecae, aduentus, reditus, commeatus itinerarius, cuſtodia rei cuiuscunque, receptio rei in depoſitum, conſilium, patrocinatio. Sequuntur nunc Enthymemata, Diſpoſitiones Enthymematicae, et exempla denique Enthymematica.*

Enthymemata.

I. Officii egeo. Cum autem hoc praestare possis; Hinc peto. II. Petis officium. Quod cum negari nequeat; Igitur praesto. III. Rogas officium. Cum autem roganti non ex asse possit satisfieri; Idcirco aliquo modo satisfacio. IV. Officium flagitatur. Cum autem gratificari nequeam; Peto, ut in uoluntate acquiescas.

Dispositiones.

I.

Exordium peti potest ab excusatione audaciae: aut a collaudatione pietatis, humanitatis, beneuolentiae erga nos singularis: aut a commemoratione benignitatis, cum erga alios, tum erga nos; ubi addatur, nos, alteri iam deuinctos, fieri uelle deuinctiores: aut a fiducia nostra erga eum, cui scribimus: aut ab occasione scriptionis.

Antecedens repraesentat aetiologiam petitionis generalem, atque omni petitioni communem, hoc est, causam literarum impellentem, puta indigentiam officii, aut beneficii.

Connexio, hoc est aetiologia probans, ducitur a possibili, facili, magno, honesto, aequo, iusto, necessario, utili, iucundo, honorifico, glorioso, opportuno, aut ab horum pugnantibus. Item e locis generis, causarum, effectorum.

Consequens, hoc est, Propositio, petitionem ipsam, aut postulatum proponit.

Epilo-

Epilogus accerſitur a ſpe conſequendi rem petitam; ab animi grati promisſione; ab officiorum, obſequiorum, ſeruitiorum pollicitatione: item a uoto incolumitatis.

II.

Exordium exponit, literas eſſe redditas: aut fuiſſe gratas: aut, earum argumentum gratum fuiſſe: aut fuiſſe uotum noſtrum diutinum alteri inſeruire.

Antecedens repetit argumentum epiſtolae acceptae, id eſt, deſiderium, aut poſtulatum.

Connexio rationes epiſtolae repetit, et in primis commemorat, nos aequitate, et alterius uirtutibus, amicitia, meritis, officiis, beneficiis ad gratificandum commoueri.

Conſequens aſſerit, nos gratificari, aut gratificaturos eſſe.

Epilogus promittit officia, aut obſequia quaeuis alia, ſi qua et poſthac praeſtari queant.

III.

Exordium continet narratiunculam literarum redditarum.

Antecedens petitionem earum repetit; ſed ita tamen, ut addat, talem eſſe, ut ei in ſolidum reſponderi nequeat.

Connexio habet epiſtolarum praecedentium aetiologias, in primis ab honeſto, ab aequo, a magno, ab impoſſibili deſumptas.

Conſequens memorat, ſcribentem alteri quodammodo ſatisfacere, aut ſatisfacturum.

Epilogus pollicitationem ſubiicit officii prolixioris,

pariter

pariter ac petitionem, ut amicus interim in propensa uoluntate acquiescat.

IV.

Exordium deducitur ab rebus iisdem, a quibus antea potuit.

Antecedens Propositionem epistolae liberae repetit; sed ita tamen, ut adiiciat, eam esse eiusmodi, ut impleri haud possit.

Connexio cum argumenta, et rationes superiores adhibet: tum praecipue petitam ab impossibili; atque adeo commodandi impedimenta, aut remoras in medium adducit.

Consequens pergit: Hinc scribentem uoluntati alterius non satisfacere.

Epilogus scriptorem propterea excusat, iuxta ac promptitudinem inseruiendi confirmat: ut et huius declarationem in iis rebus, in quibus fieri possit, pollicetur.

Exempla.

I.

Si quam in te pono fiduciam, bonitati tuae condonabis. Cuius ut munus expetam, necessitas eo me impellit. Cui seruiens opto, cupioque - - Deeris autem mihi, ut spero, hoc minus, quo minus cuiquam soles, si quis officium tuum requirat. Quam prompte igitur aliis satisfaciendum putas, tam et mihi commodabis. Tanto praeterea certius, quanto facilius potes. Neque uero quicquam tanto beneficio maius mihi poterit tribui. Cum itaque tibi

tibi plurimum debere uelim, rogo, quaeſoque uehementer, ut animi mei deſiderium expleatur. Cui beneficio ſi nunquam reſpondere potuero, ſempiternam certe memoriam rependam

obſtrictiſſimus.

II.

Redditae mihi ſunt tuae literae, ex quibus uoluntatem tuam cognoui. Petis, quod iure quodam tuo poſtulare poteras. Id enim cupis, quod cum aequitas defendit, tum etiam merita tua promerentur. Quo iniquior forem, ſi ſpem tuam fallerem. Atque mihi in primis gratulor, quod nec facultas gratificandi mihi deeſſe uideatur. Itaque uoluntati tuae, et libens ſatisfacio. Ac ſicut plura tibi debere uideor: ita fac, ut pari fiducia plura poſtules

ab obſequentiſſimo.

III.

Accepi literas tuas, ex quibus, quid me uelis, intellexi. Officium humanitatis a me poſtulas. Eſtque illud eiusmodi, quod tum aequitas tuetur, tum honeſtas ipſa praeſtari iubet. Multo plura, non modo tam leue iſtud, uirtus tua meretur. Cui ſicut merito faueo: ita optarem praeſtare tantum, quantum eiusdem dignitas uidetur poſtulare. Sed tam iniquae mihi uires ſunt, ut uoluntatem meam minime adaequent. Quare, ſi non ab omni parte poſſim, aliquo certe modo tibi ſatisfaciendum ſtatuo. In poſterum autem largiori ſarciam officio, ſi quid,

aduer-

aduersa fortuna impeditus, nunc reliquum facio. Interim acquiesces, ut spero, in uoluntate tui.

IV.

Quanti te facio, tantum uellem desiderio tuo satisfacere. Petis, ut --- Quod sicut aequum est postulatum, ita essem in te iniquus, nisi praestare uellem. Volo sane, eoque uehementius, quo pluris uirtutem aestimo. Quae quanto in te maior est, tanto est dignior, cui nihil denegetur. Quo magis infelicitatem meam doleo, quippe quae tanta est, ut uoluntati tuae nullo modo respondere possim. Quapropter maiorem in modum a te peto, ut in uoluntate mea acquiescas. Quo minus autem officium meum facere nunc possum, eo minus dubitabis, quin te in posterum subleuem, si modo fortuna tuum.

CAPVT II, De EPISTOLIS SUPPLICIBUS.

Literae Supplices a Petitoriis re nulla alia, nisi personis, et morato dicendi genere differunt. Quippe potest par ad parem, inferior ad paulo superiorem, superior ad inferiorem literas petitorias exarare. At in libellis contra supplicibus tantummodo inferior ad superiorem scribit. Tum genus dicendi in Supplicibus literis est moratius, cultius, elaboratius, magnificentius. Materia est beneficium quoduis, quod a principe, personaue Illustri, aut a magistratu peti potest. Enthy-

Enthymema.

Gratia indigeo. Cum autem ea nemini negari ſoleat; Ideo ſupplico, ut tribuatur.

Diſpoſitio.

Exordium deſumitur a laude gratiae, quam perſona principis, aut uiri illuſtris; uel collegium, adeuntibus tribuere ſoleat.

Antecedens dicit, illa ſupplicem indigere.

Connexio ducitur ab honeſto, oſtenditque, eſſe perſonam eius, cui ſupplicemus, aut collegium, Dei in his terris uicarium, atque adeo eiusdem eſſe Deum benefaciendo imitari. Item a Facili: Plures alios adiutos eſſe, neminem triſtiorem dimiſſum: unde et nos ſperemus, fore, ut pari felicitate potiamur. Porro ab Vtili: A gratia, quae ambiatur, pendere commodum ſcribentis maximum. Denique a Neceſſario: Ab eodem pendere ſalutem, aut uitam.

Conſequens ſupplicat, ut documentum gratiae, aut clementiae edatur.

Epilogus partim ſubiicit, ſupplicem haud commiſſurum, ut eo indignus uideatur: partim uoto pro incolumitate, ac perpetuitate eius, aut eorum, ad quos ſcribit, concludit.

Exemplum.

Qua fiducia ceteris mortalibus ad te adire datur, eadem accedo ſupplex. Quae enim alios, illa et me cauſa adigit, genibusque tuis aduoluit.

Adigit

Adigit certe, si quenquam alium, gratiae tuae indigentia, uehementerque impellit. Quae sicut quosuis indigos ad se inuitat: ita meam paruitatem. Etenim neminem, nisi edito sui exemplo, facile dimittit. Quo maiorem spem concipio, nec me non subleuatum iri. Qua quidem spe excitatus desiderium animi explico, uehementissimeque opto, ut —— Quod ut eueniat, mihique tribuatur, suppliciter, demissimeque rogo. Ita Deus te seruet, et uota illa rata esse sinat, quae pro tua incolumitate, perinde ut perpetuitate nuncupo.

CAPVT III,

De

EPISTOLIS COMMONITORIIS.

Epistola Commonitoria nihil est aliud, quam repetitio Petitoriae. Sed cum tamen Enthymemata Petitoria paulum hic immutentur, uisum est peculiarem epistolae formam ex Commonitoria adornare. Ceterum materia Epistolae utriusque est eadem, et potest aliquis de iisdem rebus commonefieri, de quibus rogari. Est itaque Commonitoria epistola, qua id, quod promissum est, praestari petimus.

Enthymemata.

I. Aliquid promissum est. Cum autem hoc sit necessarium; Hinc commonefacio.

II. Datae fidei admones. Quam cum impleri aequum sit; Igitur impleo.

Dispo-

Dispositiones.

I.

Exordium habet excusationem audaciae: uel laudem humanitatis, in altero conspicuae.

Antecedens fidem, ab aliquo datam, ipsi in memoriam reuocat.

Connexio ducitur ab iisdem fere locis, et argumentis, a quibus Connexio Petitoriae: in primis ab aequo, necessario, opportuno.

Consequens commonitionem in apricum profert.

Epilogus per omnia cum conclusione Petitoriae consentit.

II.

Exordium sistit memoriam datae fidei: aut narratiunculam literarum acceptarum.

Antecedens commonefactionis meminerit.

Connexio sumenda est partim ab aequo: interesse aequitatis promissa in tempore praestari; partim ab impossibili: haud tamen fuisse in nostris uiribus fidem citius implere.

Consequens ueniam precatur: aut ostendit, tanto nunc libentius nos satisfacere.

Epilogus promittit officia, promptissime in posterum praestanda.

Exempla.

I.

Quod literis tibi obstrepo, bonitati tuae donabis. Huius etenim promissum munus. Erit hoc ce quanto opportunius, tanto profecto maius. Quo uehementius eo tibi nomine me obstringes.

ges.

ges. Tibi uero cum plurimum debere uelim, ne ſignum beneuolentiae ſingularis differatur, maximopere peto. Quanto beneficio afficies, tantopere ad laudum tuarum praeconia incitabis tuum.

II.

Quod hactenus non ſatisfeci, neque dum promiſſi impleui fidem, dabis, ut ſpero, mihi ueniam. Si potuiſſem, non fuiſſem cunctatus usque eo, dum fidei datae admoneres. Duco enim iniquiſſimum promittere, ſi quid praeſtare nolis. Sed, crede, uolui magis, quam potui: neque fieri hactenus potuit, ut uoluntati tuae gratificarer. Quo libentius tandem illud, quod debeo, nunc exoluo. Reſtat, illud etiam atque etiam abs te petam, ut morae huic ignoſcas. Quam ſi in poſterum officiorum et promptitudine, et frequentia ſarcire potuero, nauabo profecto operam, uti cognoſcas promptiſſimum.

CAPVT IV, De EPISTOLIS MONITORIIS.

Etſi uerborum: monendi, ſuadendi, et hortandi, promiſcuus fere uſus eſt: tamen differunt inter ſeſe literae Monitoriae, Suaſoriae, et Hortatoriae. Primum enim admonitio, item ſuaſio, praecedit: hortatio ſequitur. Nam admonitio cum ſuaſione ſpectat futura, et nondum incepta: at hortatio reſpicit praeterita, aut etiam praeſentia, eademque perſequen-

quenda. Admonitio, et suasio, id agunt, ut uelis: exhortatio, ut pergas, aut magis uelis. Monitio, et suasio, probationibus docent: exhortatio rationibus stimulos addit. Monitio cum suasione est consilii: hortatio est motus. Admonitio, cùm suasione, siue ad otiosos, siue ad errantes, aut haesitantes: exhortatio siue ad cessantes, siue ad iamdum currentes mittitur. Illos quidem excitat: hos uero uehementius incendit. Deinde admonitio fit apud inferiorem honore, gradùue dignitatis: suasio aut apud honoratiorem, ac dignitate superiorem; aut certe apud parem: exhortatio apud omnes. Tertio est quaedam, id quod ex dictis consequitur, monentis auctoritas: suadentis nulla. Denique admonitio amorem excitat rei illius, ad quam inflammat: suasio in primis spem proponit commodorum: hortatio aemulationem mouet. Ceterum in hisce epistolis affectuosior est reliquis, atque adeo uehementior hortatio. Proinde ad hanc aliquando suffecerint uel sola παθητικὰ *argumenta, quemadmodum in Monitoria, et Suasoria uel sola* ἀποδεικτικὰ *sufficere uidentur. Quibus autem rebus admonitio, suasio, et hortatio differunt, iisdem fere monitio, dissuasio, et dehortatio. Monitio enim spectat ad futura, itidem dissuasio: at dehortatio siue praeterita, siue praesentia respicit. Tum monitio, dissuasio, et dehortatio eosdem, quos monitio de rebus faciendis, suasio, et hortatio, scriptores requirunt. Denique regnant hic odium rei, et metus incommodorum. Verum enimuero nunc de singulis epistolis sigillatim: ac primum de epistola Monitoria. Est Monitoria, qua monitum,*

 aut

aut monita, ad aliquid faciendum, aut non faciendum, ſuppeditantur. Itaque ſiue unum, ſiue plura monita complectitur. Et poſſunt eſſe Monitoriae compoſitae, exempli cauſa, haec themata: Quomodo uita ſapienter inſtituenda; in ſcholis, Academiis, in ſtudiis literarum, quomodo uerſandum; quibus rebus concilianda fama; quo pacto colenda amicitia; ſtylus quibus rebus potiſſimum parandus; quibus modis liberi inſtituendi. Item de modo diſcendi linguas, repetendae lectionis, excerpendi, continendi affectus, conſeruandae ualetudinis. Item de officio boni principis, epiſcopi, aulici, ducis, concionatoris, medici. Argumenta autem Monitoriae unius moniti, in qua aliquid faciendum praecipitur, poſſunt eſſe haec. Admonendus ſit aliquis de diligentia, exercitatione, frugalitate, temperantia, continentia, aduentu, receſſu, concordia, taciturnitate, circumſpectione in conuerſando. Argumenta denique Monitoriae ſimplicis, quae aliquid non faciendum praecipit, erunt, exempli gratia, haec: Ne quis fidat amicis fictis; ne quis aleae, ludisue aliis ſeſe dedat; ne ſodalitatem amet.

Enthymemata.

I. Aliquid faciendum, aut non faciendum eſt. Quod cum ſit honeſtum, utile, glorioſum; aut: turpe, damnoſum, inglorium; Idcirco eſt faciendum, aut non faciendum. II. Monitum datum eſt. Eſt uero id honeſtum, utile, glorioſum. Quapropter obſequium promitto.

Diſpo-

Dispositiones.

I.

Exordium peti potest a scribentis affectu: aut a proprio munere amicitiae, quod, auctore Cicerone, est monere, et moneri: aut ab excusatione scriptionis, siue ab aetate, qua scribens alterum superet; siue a maiore rerum usu; siue a bonarum artium studiis, in quibus nos diutius uersati simus.

Antecedens, aliquid suscipiendum, aut non suscipiendum esse, ostendit.

Connexio moniti, aut monitorum rationes adducit, petitas ab honesto, pio, aequo, necessario, utili, iucundo, glorioso: aut ab istorum pugnantibus.

Consequens monitum, aut monita repraesentat.

Epilogus spem obsequii praefert: praetereaque studia, officia, inseruiendi promptitudinem pollicetur.

II.

Exordium fit a laetitia, ex literis percepta.

Antecedens a mentione moniti, aut monitorum.

Connexio ab honestate, necessitate, utilitate eorundem.

Consequens obsequium promittit.

Epilogus animum gratum, officia, seruitia debita.

Exempla.

Amore magis impulsus, quam, quod te arbitrarer monitis, praeceptisque meis indigere, haec ad te perscribenda existimaui. Quam enim carum te habeo, tam ea te uelim facere, quae personam tuam decent. Quae si facies, cum Deum placatum tibi habebis, tum amicos parabis,

bis, tum rationibus tuis praeclare consules. Id quidem consequeris, si cogitabis, quid Deo, et, qui loco Dei sunt; quid parentibus, et qui eorum sunt loco; quid ceteris, et quid tibi denique debeas. Deum coles, magistratibus morem geres, parentes honorabis; ad haec neminem iniuria lacesses, erga omnes officiosus, aduersus nemini, honesti amans, tempus recte collocans. Quae si facies, nunquam te poenitebit obsecutum esse fidelissimis monitis tui.

II.

Accepi literas tuas, quibus sum ualde delectatus. Quot enim monita, tot amoris in me tui testimonia continebant. Quippe ea suggerebant, quae ad ueram laudem, pariter ac felicitatem profutura uidebantur. Hanc sane perderem, nisi amantissimis, fidelissimisque monitis tuis obtemperarem. Quare, quo minus mihi ipse sim iniurius, non committam, ut dicto tibi parum audiens fuisse uidear. Ad haec, quantum officio tuo tibi me obstrinxisti, tantum id enitar, et contendam, ut cognoscas, te homini grato, ac memori tribuisse.

CAPUT V,

De

EPISTOLIS HORTATORIIS.

De exhortatione, quibus praesertim rebus a literis cognatis differat, iamdum dictum satis. Id uero in primis recolendum, urgere illam cessantes, aut etiam

etiam currentes, non ingredientes. Argumenta arcessuntur a laude tum personae, tum rei ipsius. Res ostenditur esse pia, honesta, magnifica, utilis, necessaria, gloriosa, rara, noua. Persona collaudatur a generis claritate, a nobilitate, a dignitate, ab indole, ingenio, uiribus, sapientia, uirtute, aetate, eruditione, usu rerum. Affectibus insuper, si usquam alibi, profecto hic locus: spei, et metui, amori, odio, misericordiae, aemulationi, expectationi cum beneuolentium, tum maleuolentium. Porro hortatiorem ea styli uirtus, quae δείνωσις appellatur, condecet, et commendat. Denique cum fere exhortemur currentes, initium praecipue scitum sit, oportet. Dicemus ergo, nos siue officio, siue amore inductos esse potius adscribendum, quam, quod adhortatione ulla opus esse uideatur, quippe cum alter et per se uideat, quid oporteat fieri, et, quid rectum sit, sponte agat. Cuiusmodi effigiem Cicero Philippica quarta *his uerbis expressit.* Faciam igitur, quod imperatores instructa acie solent: quanquam paratissimos milites ad praeliandum uideant, ut eos tamen adhortentur: sic ego uos ardentes, et erectos, ad libertatem recuperandam adhortabor. *Potest autem, ut materiam scriptionis indicemus, alius alium adhortari ad societatem malorum constanter fugiendam, ad studium pietatis indefessum, ad assiduitatem industriae, ad uirtutem porro colendam, ad studia literarum diutius persequenda, ad res strenue urgendas. Est itaque epistola Hortatoria, qua aliquem ad persequendum inceptum adhortamur.*

Enthymemata.

I. Aliquid perſequendum eſt. Id uero honeſtum eſt, utile, glorioſum. Quapropter ad illud faciendum adhortor. II. Ad aliquid adhortatus es. Quod cum ſit honeſtum, utile, glorioſum; Igitur hortationi obſequar.

Diſpoſitiones.

I.

Exordium ſignificat affectum amoris, ſiue beneuolentiae, qua aliquem amplectamur; uel gaudii, ex nuncio allato percepti.

Antecedens, ſtrenue aliquid perſequendum eſſe, affirmat.

Connexio petitur ab honeſto, quo pertinet ſpes, atque expectatio bonorum, ac beneuolorum: II a legitimo, quia leges, ſiue diuinae, ſiue humanae iubeant: III a decoro, ubi exponitur rei dignitas: IV a neceſſario: V a glorioſo, quia egregiam nominis famam aliquid afferat: VI a commodis, e re quapiam ſperandis, ſiue animi, ſiue corporis, ſiue fortunae: VII a facili, ubi commemoranda ſunt ſubſidia, quibus inceptum ſtrenue profligari posſit: IIX a iucundo, quam in rem recenſentur illa, quae delectationem, ac uoluptatem ex incepto afferre queant. Si perſona reſpicitur, connexio praeterea peti poteſt a generis nobilitate, aut obſcuritate; a parentibus, ab ingenio, aut indole praeclara.

Conſequens adhortationem complectitur.

Epilo-

Epilogus in officiorum, ac ſtudiorum oblatione deſinit.

II.

Exordium laude effert alterius beneuolentiam, literis declaratam.

Antecedens mentionem acceptae adhortationis facit.

Connexio rationes, ab altero adductas, ſtrictim repetit.

Conſequens obſequium pollicetur.

Epilogus gratias agit pro adhortatione, gratumque pro officio animum promittit.

Exempla.

Quod haec ad te perſcribo, beneuolentiae in te meae ignoſces. Quae quo maior eſt, eo maiora teſtimonia flagitat. Nec uero maius uidebar daturus eſſe, quam, ſi te rogarem, ea ut faceres, quae ſoles. Quae ut perſequaris, requirit ſumma omnium de te expectatio, et uota expetunt, qui uirtutes tuas ex merito aeſtimant, inque coelum usque laudibus elatam cupiunt. Hoc ipſum magnae mentes imitantur, utpote quae nunquam quieſcunt, et conſtantem ſemper tenent curſum. Ab hocce curſu nullus labor deterreat, quem praemia cum aeterna, tum ampliſſima conſequuntur. Huc itaque contende, hoc effice, ut nunquam in laudum curriculis defatigatus uideare. Id ſi feceris, quantus erit bonorum omnium triumphus? quanta gratulatio? quanta ad amorem tui acceſſio? quanta denique praedicatio?

II.

Incredibiliter ſum literis tuis delectatus. Intellexi enim ex eis, quantum me diligas. Intellexi enimuero ex amantiſſimo conſilio, quod ſuppeditaſti. Namque ad ea perſequenda cohortatus es, quae non ſolum recta, honeſtaque ſunt; ſed nominis etiam immortalitatem condunt. Quanquam uero res ipſa animum inflammat meum: tamen, quod mea ſponte eram facturus, id hortatu tuo faciam multo alacrius. Quare, ſi quem ex ea re fructum cepero, magnam illius partem exhortationi tuae acceptam feram

tuus.

CAPVT VI,
De
EPISTOLIS DEHORTATORIIS.

Dehortatio ad intermiſſionem pertinet, adeoque male agentes ſiue uerbis, ad grauitatem compoſitis; ſiue precibus ab incepto reuocat, et abducere conatur. Cum autem argumenta alia, argumentorum hortationis contraria, tum praecipue turpitudo rei, probrum, conuitia, damnum, incommodum diligenter hic exaggerantur. Ceterum poteſt dehortatio, exempli cauſa, inſtitui ab aſotia, intemperantia, prauo ſodalitio, ira, luſu, lingua liberiore, credulitate, auaritia, prodigalitate, otio, incontinentia. Definitio epiſtolae Dehortatorie eſt haec: Eſt, qua aliquem ab incepto quodam abſtrahere ſtudemus.

Enthy-

Enthymemata.

I. Aliquid intermittendum eſt. Quod cum ſit indecorum, et damnoſum; Hinc dehortor. II. Dehortatus es. Cum autem rationes tuas approbem; Incepto deſiſtam.

Diſpoſitiones.

I.

Exordium habet ſignificationem doloris, aut ſolicitudinis, ex nuncio allato ortae: aut declarationem amoris erga alterum.

Antecedens illaudabile inceptum commemorat.

Connexio ſumitur a turpi, indecoro, inglorio, et probroſo: porro ab inutili, aut pernicioſo, ſiue ratione corporis, ſiue animi: item ab iniucundo, aut moleſto: itidem ab ante actis: denique a metu gaudii, riſus, inſultationis maleuolorum.

Conſequens ab incepto dehortatur.

Epilogus ſubiungit petitionem obſequii, et ſtudii promisſionem.

II.

Exordium a laude beneuolentiae.

Antecedens dehortationis mentionem facit.

Connexio partim ratione ſcriptoris ducitur ab affectu, nempe teſtimonio beneuolentiae; partim ratione eius, quem aliquis dehortatur, in primis a damnoſo.

Conſequens inſtituti intermisſionem pollicetur.

Epilogus ſcriptorem fauori perpetuo commendat.

Exem-

Exempla.

I.

Quanta hactenus de te expectatio fuit omnibus concitata, tanta iis tristitia uidetur modo afferri. Nescio enim, quis rumor infaustus aures hominum percelluit, pristinum tibi institutum displicere. Quae res quanto magis a tua uirtute abhorret, tanto minus uerisimilis uidetur. Quae si uera esset, Deus bone, quam erit iis gaudium insolens, qui risus, si qui uirtuti tuae inuiderunt? Hac duce in eum adductus locum es, ut aut gloriosius fuisset quiescere, aut necesse sit incepta profligare. In his quo processum longius, hoc infelicius desinetur. Quantus enim beneuolorum plausus progredientem, tantus inuidorum hominum ferocia cessantem consequetur. Quasi nihil actum esset, sic uidebitur plerisque. Quid itaque reliquum, nisi ut, cum plures alios uiceris, te nunc ipsum uinças. Age, expectationem bonorum omnium non modo sustine, sed uince. Cursor, ad metam perueniens, praemia accipiebat. Quo te maiora manent, eo minus igitur desistes coeptis.

II.

Literas tuas accepi, ex quibus perspexi, quam tibi essem carus. Nec enim maius beneuolentiae testimonium dare poteras, quam quod ab iis rebus me dehortarere, quae multas profecto dolendi causas relinquant, nec parum aliquando mali

mali afferant. Id ſanè fieri poſſe, tanto magis uereor, quanto plus iudicio tuo, quo polles maximo, tribuo. Proinde facile patior mihi diſplicere inſtitutum, totoque iam animo id abhorreo. Quod ſicut fide integra affirmo: ita uehementer rogo, ut ſine intermiſſione complectaris

obſequentiſſimum.

CAPVT VII,
DE
EPISTOLIS SVASORIIS.

SVaſoria ſvadet futura, neque dum inceptata, perinde ut admonitio. Sed tamen eſt mollior, quam admonitio, et civilior. Etenim ſuadet dignitate inferior, et rogat potius, quam ſuadet. Vt taceamus reliqua, iamdum ſupra anticipata. Tantummodo illa, quae epiſtolae buius ſunt magis propria, exponimus. Vbi res poſtulat, captanda paucis beneuolentia. Tum, ſi opus, concinna narratiuncula ſubiicienda eſt. Confirmatio ab occupatione, ſi quid forte conſilio noſtro obſtare uidebitur, incipietur. Rationes erunt ex biſce praeſertim locis: ab boneſto, pio, utili, quod eſt aut poſitiuum, aut certe priuatiuum; praeterea uel animi, uel corporis, uel fortunae; item a tuto, iucundo, facili, neceſſario, glorioſo. Loci etiam comparati locum bic poſſidebunt: ut et argumentorum ἀτέχνων, cuiusmodi ſunt: oraculum, lex, conſuetudo, pactum, iudicatum, gentium conſenſus, fama, gnome, dictum ſapientis.

Mate-

Materia erit profectio in Academiam, labor excerpendi, studium linguarum, acceptio dignitatis, reditio domum, reditus in Academiam, ambitio muneris publici, pax, foedus, amicitia, coniugium, cura ualetudinis, actio quaecunque honesta. Existimat Erasmus Roterodamus, *acuendi ingenii gratia, nonnunquam infames etiam materias proponendas esse. Veluti, si quis suadere uelit paupertatem, exilium, malam gratiam, aegrotationem, contemptum studiorum liberalium, neglectum linguarum, tyrannidem. Definitio epistolae Suasoriae est haec: Est, qua aliquid suscipiendum, aut eligendum suademus.*

Enthymema.

Aliquid faciendum est. Quod cum sit honestum; Ideo suadeo.

Dispositio.

Exordium accersi potest uel ab alterius laude propter ingenium, sapientiam, prudentiam, eruditionem: uel ab excusatione scriptionis: uel a lege amicitiae, si dicatur, quid illa postulet.

Antecedens incitamentum suasionis exponit, eiusdemque occasionem indicat, atque adeo argumentorum ueluti semina iacit.

Connexio ducitur a pio, ab honesto, a glorioso, a raro, a nouo, et hactenus intentato; a tuto, siue ab eo, quod fit sine periculo; a necessario, siue ab eo, quod salua conscientia intermitti non potest; a legitimo, ab utili, quod, quemadmodum paulo ante expositum est, aut est positiuum, in consecuatione

tione praesentium, et acquisitione futurorum bonorum consistens, aut priuatiuum; a iucundo, siue ab eo, quod citra taedium perfici potest; a facili, siue ab eo, quod sine magno labore.

Consequens suadet, partesque suasionis, si quae dantur, enumerat.

Epilogus suasionem una cum uno, itemque altero argumento repetit, et studia, atque officia praeterea pollicetur, uotaque pro felici rei successu nuncupat.

Exemplum.

Quanquam ipse consilio abundas; tamen, cum multum pietati in te meae debeam, quid mihi hoc tempore uideatur, tecum audeo communicare. Est, in quo ingrediendo auctor esse uelim. Est uero nihil aliud, quam quod cum ad dignitatem, tum etiam ad utilitatem multum uideatur interesse. Hoc autem fidentius mentem meam aperio, quo sanctiore nexu tibi obstrictus uideor. Optarim itaque, ut --- Quo consilio cum potius meam tibi pietatem approbare, quam ostentare prudentiam uoluerim, ignosces, spero, confidentiae

fidelissimi tui consiliarii.

CAPVT IIX,

DE EPISTOLIS DISSVASORIIS.

Dissuasoria ad fugienda pertinet. Itaque sicut Suasoria in primis commoda; sic Dissuasoria maxime

maxime incommoda rei colligit, et exaggerat. Porro, quemadmodum haec epistola praecedenti est opposita: ita in contrariis fere, et oppositis materiis occupatur, cuiusmodi, exempli causa, sunt: intempestiua studiorum absolutio, festinata muneris publici ambitio, aliquod studium, coniugium praeceps, diuturnior quodam in loco commoratio. Definitio est haec: Dissuasoria est, qua propositum aliquod dissuademus.

Enthymema.

Aliquid non est faciendum. Quod cum sit illaudabile, et damnosum; Hinc dissuadeo.

Dispositio.

Exordium peti potest uel a laude alterius: uel a scriptionis occasione: uel a declaratione curae, solicitudinis, amoris.

Antecedens causam dissuasionis inducentem, id est, propositum alterius sistit.

Connexio ducitur ab indecoro, turpi, damnoso, periculoso, non necessario, aut superuacaneo, molesto, difficili, impossibili.

Consequens destinatum dissuadet.

Epilogus argumentorum unum, itemque alterum cum admonitione repetit, addita obtestatione, et officiorum promissione.

Exemplum.

Pro animo in me tuo dabis literis ueniam, quibus meam in te pietatem declaro. Huius enim acrioribus ueluti stimulis incitatus audeo expone-

ponere, quid animo ſedeat. Accepi, tibi captum eſſe conſilium, ut --- Sed, fallor? an ſatius fuerit, an magis e re, ſi mutes propoſitum, et ex animo dimouendum putes. Vereor enim, ne forte, ſi exequaris, neſcio quid mali poſſit conſequi. Quanto aequius ueniet in mentem recordari illud Mimicum: *Deliberandum eſſe diu, quod ſtatuendum ſit ſemel.* Atque hoc uti faciendum ſtatuas, etiam atque etiam opto. Erit forſitan, ubi uix poeniteat reliquiſſe locum fideliſſimo conſilio

tui.

CAPVT IX,
DE
EPISTOLIS COMMVNICATORIIS.

Tales epiſtolas a paucis traditas reperimus: credo, quod pleriſque fuerint uiſae Petitoriae. Ac profecto nihil aliud, niſi petitionem conſilii complectuntur. Sed eſt tamen, cur illas a Petitoriis ſeparemus. Neque enim tam argumenta habent, quam argumentorum ueluti quendam conflictum. Qui tractandi modus ut eſt paulo difficilior, ita peculiarem uidetur mereri locum. Quanquam et ſine diſputatione negotium poteſt confici: quod fiet, ſi alterutrum tantummodo Antecedentis membrum argumentis confirmetur, illud ſcilicet, quod prae altero magis arrideat; et tunc formula petitoria in hanc forte ſententiam ſubiiciatur. Intelligis, quid mihi uideatur: ſed tuum tamen conſilium libentiſſime ſequar. Quod ut

 mihi

mihi impertiaris, maiorem in modum te rogo. Locupletior formula est illa elegantissimi Angeli Politiani, L. VII, *epistola illa, cuius initium:* Multo aequius fuerat. *Formula est haec.* Habes, quid mihi uideatur, et intelligis animi mei motum : sed tamen tuum consilium sine exceptione sequar: ad tuam uoluntatem me confirmabo, a qua honeste dissentire non possum. Nihil assentor. Tantum enim animi inductio, et mehercule amor apud me ualet, ut, quae tibi utilia sunt, et quae tu uis, ea omnia mihi protinus et recta , et uera uideantur. *Potest autem consultari de eligenda Academia, de ingrediendorum studiorum ratione, de habenda disputatione, de itinere suscipiendo, de accipiendo honoris gradu, de oblata statione publica, aut priuata, de fundo uenali, de adeunda aula, de mutatione stationis. Ex dictis iam ultro patet epistolae huius definitio. Est enim epistola Communicatoria, qua propositum aliquod cum altero communicamus, eiusdemque consilium perquirimus.*

Enthymemata.

I. Egeo consilii. Quod quia reperire nequeo; Perquiro tuum. II. Quaeris consilium. Quod cum negare nequeam; Igitur impertior.

Dispositiones.

I.

Exordium ducitur a laude illius, ad quem scribitur, propter beneuolentiam, prudentiam, eruditionem:

nem: uel a ſcribentis extenuatione: uel a fiducia, in promptitudine gratificandi alterius collocata.

Antecedens rem deliberandam, dubiamque in medium proponit.

Connexio ducitur ab honeſto, neceſſario, utili, iucundo, facili, poſſibili; aut a locis contrariis: turpi, ſuperuacaneo, pernicioſo, moleſto, difficili, impoſſibili.

Conſequens conſilium expetit.

Epilogus aſſenſum promittit, et obſequium, itemque animum gratum.

II.

Exordium collaudat alterius erga nos amorem: uel gratias agit pro ſpe, ac fiducia, in noſtra inſeruiendi promptitudine poſita.

Antecedens propoſitum a communicante dubium, pariter et petitionem conſilii repetit.

Connexio partim argumenta, in priori epiſtola allata, breuiter repetit; partim noua addit, quae conſilium ſubſequens fulciant.

Conſequens iam conſilium ipſum commodat, et, quid faciendum, aut non faciendum, conſulit.

Epilogus partim arbitrio alterius relinquit, uelitne in conſilio noſtro acquieſcere, nec ne; partim plura alia officia, et obſequia pollicetur.

Exempla.

I.

Sines, ut declarem fiduciam, in tua ſapientia collocatam. Eſt, in quo titubo, aeſtuoque, neque ſatis, quid facto opus, perſpicio. Vtrum

enim --- an --- debeam, incertum eſt. In utramque partem haud deſunt argumenta, quae cum ſuadeant, tum uero etiam diſſuadeant. Quantoque grauioris momenti utraque uidentur eſſe, tanto difficilius, quid optimum, reperire : tibi tamen facilius, magno rerum uſu inſtructo. Quo minus autem officium tuum cuiquam negare ſoles, eo maiori ſpero fiducia, te nec mihi, conſilii tui in primis indigo, defuturum. Hoc adeo ut me regas, aeſtumque meum explices, maximopere, etiam atque etiam abs te peto. Faciam, ſi quid ſuadebis, in conſilioque tuo acquieſcam. Ceterum magno abs te beneficio affectum putabo

tuum.

II.

Ex literis tuis cognoui, quid me uelis. Eo ipſo ſcribis, quod, quid uelle debeas, neſcis. Scribis, aeſtuare te, neque, quid agendum, ſatis prouidere. Quaeris autem, utrum --- an --- debeas. Ego quidem prius illud futurum tibi e re tua, futurum exitu utile, perinde ac glorioſum, exiſtimarim. Quanto plus igitur tibi debeo, tanto minus duxi intermittendum, quin, rogatu tuo, meam tibi ſententiam aperirem. Dum uero oſtendi, quid fructuoſum, quidue ad gloriam profuturum appareat, iam dixiſſe ſententiam uideor. Ceterum ſicut meum non eſt quicquam te admonere: ita tui arbitrii, uelisne acquieſcere, an non, in iudicio

tui.

CAPVT

CAPVT X,

DE

EPISTOLIS CONCILIATORIIS.

NOmen dedit *hisce literis* Def. Erasmus Roterodamensis, *quas alii ante ipsum sine dubio ad Petitorias reuocarant. Ac merentur quidem, ut seorsim collocentur, cum omnino nonnihil a Petitoriis differre uideantur. Petitoria enim epistola petit siue officii aliquid, seu beneficii; at Conciliatoria nihil, nisi beneuolentiam, quae illorum est causa, conciliare studet. Videtur adeo eius missio iure quodam Petitoriae praemitti posse. Ob eamque causam perfrequens est hoc argumentum eruditis. Prius enim, quam petere ab aliquo instituamus, necesse est, ut eius nobis beneuolentiam comparemus, in eiusdemue notitiam perueniamus. Id quod uel ex eo patet, quod, ubi ab ignotis quippiam petendum sit, petitio indirecte, et per ἔφοδον quandam praeuiam instituatur. Immo multis uel ad hoc unum prodest Conciliatoria, ut mutuis sese epistolis prouocent ad commercia literarum, ac foedera musarum. Quemadmodum porro in literis Commendatitiis alios, ita in hisce nosmet ipsos commendamus. Ceterum nos Conciliatoriam epistolam duplicem facimus. Conciliamus enim uel parem nobis dignitate, uel superiorem. Ex dictis iam haud aegre intelligitur, quid sit epistola Concilians. Est autem, in qua cuiuspiam beneuolentiam, aut amicitiam ambimus.*

Enthymemata.

I. Egeo beneuolentia. Cum autem nemo ſine magnorum uirorum fauore poſſit uiuere; Hinc tuam peto. II. Amicitia egeo. Cum autem nihil magis animum oblectet, quam amicitia fidelis; Ideo in tuam admitti uolo. III. Cupis beneuolentiam. Cum autem illam merearis; Igitur promitto. IV. Cupis amicitiam. Cum autem amore dignus ſis; Idcirco defero.

Diſpoſitiones.

I.

Exordium a laude, ſpe, fama egregia, praedicatione item humanitatis illius, ad quem ſcribitur: uel a uerecunda ſcribentis extenuatione: uel ab excuſatione audaciae.

Antecedens a deſiderio in beneuolentia alterius haerendi.

Connexio arceſſit rationes, et quidem uel a perſona, uel a re. Perſona uel eſt concilianda, uel concilians. Perſona concilians deſcribitur modeſte I per adiuncta, ut ſunt amor, et admiratio erga uiros magnos: II per Relata, ut ſunt parentes, et cognati, quibus aliquis bene cupierit: III per Effecta, ut ſunt labores, pro bono publico ſuſcepti. Perſona autem concilianda commendatur I ab Adiunctis: pietate, doctrina, amore erga literatos: II a fama de omnibus bene merendi uoluntatis: III ab Effectis, ut ſunt monumenta ingenii, nomi-

nominis fama, et celebritas, consuetudo laudabilis admittendi eos, qui beneuolentiam ipsius captent: IV a Relatis, ut sunt parentes, maioresue alterius, qui propter officia, beneficia, merita erga nos, aut nostros laudantur. Res ipsa, id est, receptio in patrocinium, demonstretur esse honesta, aequa, necessaria, utilis.

Consequens petit, scribentem inter clientes recipi.

Epilogus declarat fiduciam, in alterius beneuolentia collocatam, pariter et memoriam, fidem, obseruantiam, praedicationem perpetuam, animum gratum, officia, et quaeuis pietatis studia pollicetur.

II.

Exordium a laude humanitatis.

Antecedens est uehemens desiderium perueniendi in alterius notitiam, aut amicitiam.

Connexio petitur rursus partim a persona; partim a re. Persona est uel concilians, uel concilianda. Concilians describitur per Adiuncta, quae sunt: studium bonae mentis, amor uirtutis, aestimatio doctorum, bonorumque uirorum. Persona concilianda partim argumenta suppeditat deriuata a causis efficientibus ipsius amicitiae; partim ab effectis ipsius personae. Illae sunt doctrina, uirtus, et studiorum, morumue similitudo; haec sunt: monumenta ingenii, et consuetudo admittendi eos, qui ueram, atque honestam amicitiam ambiant. Res ipsa, id est receptio in amicitiam, dicitur honesta, aequa, necessaria, utilis, iucunda.

Consequens petit, in numerum amicorum scribentem recipi.

Epilogus ostendit fiduciam, in altero positam: deinde pollicetur, nos, tametsi nouos amicos, nulli ueterum cessuros, studio certe, ac fide, quantumuis aliis in rebus simus impares. Porro nos ipsos, omnesque opes nostras, et quicquid opera nostra praestare possit, omne id defert.

III.

Exordium gratam fuisse significat tam humanam compellationem: aut laudes, scribenti tributas, deprecatur, tanquam merito ipsius maiores, easque adeo affectui alterius assignat.

Antecedens argumentum literarum repetit.

Connexio exponit causas, quamobrem alter fauore dignus sit, quas suggerit partim persona concilians, partim res ipsa. In persona conciliante spectantur partim adiuncta, ut: doctrina, uirtus, merita; partim relata, ut parentes, maioresue. Res ostenditur esse honesta, aequa, iucunda, facilis.

Consequens beneuolentiam promittit.

Epilogus studium, et inseruiendi promptitudinem clienti prolixe offert, iuxta atque occasiones gratificandi, beneuolentiamque mutuam exposcit.

IV.

Exordium memorat, et literas esse redditas, et gratas extitisse: uel gaudium exprimit, ex illis perceptum, eo quod candidum alterius amorem declararint.

Antecedens amicitiae, ab aliquo expetitae, mentionem facit.

Con-

Connexio partim laudes, ſcribenti attributas, extenuat: partim alterius doctrinam, uirtutem, humanitatem effert laudibus: partim oſtendit, rem ipſam, ſeu amicitiam, eſſe honeſtam, utilem, iucundum.

Conſequens promittit amicitiam ſtabilem, fidem inuictam, amorem duraturum.

Epilogus occaſiones inſeruiendi petit, aut optat.

Exempla.

I.

Quo minus ad te adeuntes deſpicis, eo fidentius limina tua adeo. Iam diu opto tibi carus eſſe: utque optem, bonitatis tuae fiducia impellor. Hac inductus nihil tenuitate deterreor, quam faſtigium uix faſtidit, nec gratia aliqua indignam putat. Numen ipſum, quod ſupra omnia, non ſolas potentum exaudit preces, ſed etiam extremae ſortis hominum deſideriis uacat: neque reiicit quenquam, ſi quis piam, caſtamque mentem afferat. Quo minus tute, tametſi in faſtigio poſitus, ſupplicem me non admittes, neque beneuolentia tua indignum duces. Quod ut facias, meque adeo inter clientes piiſſimos receptum uelis, demiſſe rogo. Ac ſicut eam mihi felicitatem certo polliceri audeo: ſic promitto, nulla intermiſſurum obſequia clientis deuoti tuum.

II.

Nequeo diſſimulare deſiderium, quod me iam pridem tenet. Iam diu ardeo inter amicos tuos adſcribi. Quod ut cupiam, multa me incitant,

tant, ac incendunt. In te autem ut omnia summa, ac prope diuina intuear, de quo tamen tibi me commendem, uix est, nisi amor, ac studium bonae mentis. Quae cum ames, nec me, ut spero, amore tuo indignum iudicabis. Id ut facias, foedusque amicitiae mecum ineas, inque gregem tuum me recipias, uehementer uelim. Tu ut ceteris rebus omnibus longe uincas me, ac superes, non committam, ut amoris magnitudine tibi ullo tempore concedam.

III.

Interpellari abs te gratum fuit; tamque acceptum, quam ipsum scriptionis incitamentum. Dum enim meam cupis beneuolentiam, tuam probas. Quare, nisi mutuam redderem, uiderer sane ingratus: si uirtutem praeterea tuam respicio, simul iniquus. Hac tu uel ideo flores, quia modestia. Hinc non minus in uirtutem ipsam, quam in te essem iniurius, nisi summa te beneuolentia putarem dignum. Eam proinde, pariter et eiusdem documenta, si qua dari potuerint, spondeo. Quanta autem beneuolentia te complectar, tanta tu porro tuum.

IV.

O uim incredibilem amoris! Non amas solum, sed humanissima etiam scriptione compellas. Affectum, amoremque offers, quem ambire debebam ipse. Quas partes quod occupasti, humanitati tuae tribuo. Nec uero magis incomparabilis humanitas, quam uirtus tua ad redamandum

dum allicit. Quae ornamenta ſicut in te praecipua ſunt: ita ferus ſim, et inhumanus, niſi una cum aliis certatim colam, magnique faciam. Quare, quod expetis, adeo quidem cupide offero, ut propior ſim appetenti: ſpondeoque amorem ſingularem, ac perpetuo duraturum. Cuius ſi qua pignora dare potuero, caue, exiſtimes, ulla intermiſſurum

tuum.

CAPVT XI,

DE

EPISTOLIS COMMENDATITIIS.

VT in Conciliatoriis noſmet ipſos, ita in Commendatitiis alios aliis commendamus. Itaque et hic petimus; ſed pro aliis. Atque hoc ipſo cum ab epiſtolis Petitoriis, tum a Conciliantibus differt Commendatio. Ibi enim duae dantur perſonae, hic tres: commendans, commendanda, et illa denique, cui commendamus. Atque ab omnibus perſonis hiſce argumenta deducuntur. Eſt autem epiſtola Commendatitia, haud ſecus, atque Petitoria, uel aperta, uel obliqua. Aperta, quae, nulla ἐφόδῳ *uſa, rem ſine ambagibus fidenter exponit: Obliqua, quae ſiue ad ignotos, ſiue iuſto ſaepius ad notos, et amicos mittitur. Si quis hominem ignotum conciliatum amico uelit, ſibi ipſi eum antea conciliet, oportebit: ſin aliquis nimis ſaepe literis huiusmodi alteri grauis ſit, immodeſtiam ſuam excuſabit. Ad prius genus Commenda-*

mendatitiarum pertinet exemplum egregium Augusti Buchneri, *quod est epistola* LXXXV *in* parte priori epistolarum: *ad posterius* epistolae LXX, et LXXI Ciceronis *in* L. XIII epp. ad famil. *Ceteroquin per se intelligitur, genus illud conflatum esse ex Conciliantibus, et Commendatitiis: hoc ex Excusantibus, et Commendatitiis. Est autem Commendatio uaria: nec modo est personae, uerum etiam rei. Illuc spectat Commendatio speciatim sic dicta, et Testimonium: huc Commendatio muneris, et Dedicatio. Atque de singulis hisce Commendationis generibus more rhetorum seorsim, sigillatimque uidebimus, excepta muneris Commendatione, quam forte uno uerbo Munerariam dixeris, quam ipsam generali nomine comprehendemus. Vnum addimus, magnam in Commendatione personarum cautionem adhibendam esse, et sedulo uidendum ante omnia, nunquis commendatione, aut diligenti commendatione dignus uideatur. Secus potest fieri, ita ut saepe fit, ut, dum alteri amicos paramus, ipsimet amicis excidamus. Quod superest, Commendatio proprie dicta fere eandem, quam epistola Petitoria, materiam subiectam habet. Quemadmodum enim in Petitoria pro nobis, ita in Commendatitia pro aliis petimus. Vt si quis commendetur hoc nomine, ut accipiat subsidium, aut iuuetur consilio: ut aditum habeat facilem: ut causam obtineat: ut munus publicum consequatur. Est iam epistola Commendatitia, qua quispiam cuipiam commendatur.*

Enthy-

Enthymemata.

I. Eget aliquis beneuolentia. Cum autem commendatione dignus ſit; Hinc commendatur. II. Eſt aliquis commendatus. Cum autem fauorem mereatur; Idcirco habebo mihi commendatum. III. Eſt aliquis commendatus. Cum uero commendationi ſatisfieri nequeat; In uoluntate acquieſces.

Diſpoſitiones.

I.

Exordium petitur uel a ſcriptionis excuſatione: uel a laude humanitatis: uel a crebrioris interpellationis purgatione.

Antecedens oſtendit, egere aliquem alterius fauore: uel dicit, commendationem noſtram fuiſſe expetitam: uel amici deſiderium fauore alterius fruendi exponit.

Connexio ducitur uel a re ipſa, uel a perſona. Res ipſa dicitur eſſe tum honeſta, tum pia, tum utilis, tum facilis, et parui negotii, tum aequa, tum glorioſa, atque eiusmodi, ut exinde ad patronum aliquid laudis, gloriae, aut emolumenti peruenturum uideatur. Perſona eſt uel commendantis, uel commendandi, uel patroni. Ratione perſonae commendantis dicitur, hominem commendandum eſſe noſtrum neceſſarium, propinquum, amicum de nobis meritum: uel parentes eius nobiſcum colere, aut coluiſſe amicitiam; aut eſſe nobis coniunctos patria,

tria, ſtudiis, aut de nobis, noſtrisue bene meritos. Ratione hominis commendandi adiuncta, et uirtutes enumerantur, ut ſunt: genus honeſtum, aut nobile, ingenium, induſtria, doctrina, modeſtia, probitas, integritas, humanitas, ſtudium de omnibus bene merendi; item amor, beneuolentia, obſeruantia eiusdem erga perſonam patroni. Ratione patroni collaudatur eius auctoritas, beneuolentia, bonitas, iuuandi promptitudo, uirtutes aliae, citra tamen adulationis ſuſpicionem.

Conſequens commendationem ipſam proponit.

Epilogus partim oſtendit fiduciam, in alterius humanitate repoſitam; partim ſpem facit beneficii non male collocandi; partim animum gratum, ac memorem futurum, ſpondet, tum commendati, tum etiam comendantis; partim ſpem amici, in commendatione noſtra collocatam, ſignificat, cum uoto, ne ſpes ipſum fallat.

II.

Exordium ſignificat, nos ſemper optaſſe de omnibus egregii bene mereri poſſe, eoque gratiores nobis literas alterius fuiſſe.

Antecedens: In iis enim hominem, omni laude dignum, fuiſſe nobis commendatum.

Connexio argumenta breuiter repetit, et confirmat, ab aequo in primis, et facili ducta: dicitque, aequum eſſe, ut amplectamur homines, fauore dignos: utque nunquam uoluntas uobis deſit talibus commodandi, ita nos gratulari nobis, ſi quando id facere queamus: neque commendatorem nobis ideo quicquam debiturum. Id enim poſtulare cum merita

merita commendati, tum noſtram erga commendatorem amicitiam, ut commendato benefaciamus, ubi posſimus.

Conſequens deſideratum a nobis officium, aut inſerviendi ſtudium promittit.

Epilogus ſcriptorem fauori alterius commendat.

III.

Exordium ab excuſatione petitur, quod ingratae literae alteri ueniant, aut, quod reſcribendi officium iuſto diutius dilatum fuerit: poteſtque cauſa addi, et quidem illinc haecce, quod literae uoluntati commendatoris non reſpondeant; hinc, quod negotiorum multitudo conatum reſcribendi impedierit.

Antecedens repetit commendationem, ab altero miſſam.

Connexio partim commendationis argumenta leuiter perſtringit; partim impedimenta gratificandi ſubiungit, quae poſſunt eſſe facultatis defectus, uirium tenuitas, temporis importunitas, nimis ſera commendatio, deficiens occaſio, temporum difficultas, aduerſariorum potentia.

Conſequens offenſam deprecatur, exinde forſitan metuendam, quod alterius uoluntati non ſatisfiat.

Epilogus partim in uoto facultatis, et occaſionis; partim in ſignificatione promptae uoluntatis definit.

Exempla.

I.

Ita Sempronium diligo, ut nequeam uoluntati

tati eius deesse. Vult autem commendatione mea te sibi conciliatum. Atque est in ipso cum uirtus, et probitas, tum summum officium, et obseruantia singularis. Accedit memoria, et praedicatio, et apud omnes gratiarum actio, si quid in eum conferatur. Quae ut omnium bonorum amore, ac studio dignum probant Sempronium, ita me incitarunt, ut tibi ipsum ualde commendatum uellem. Huic ego nullius beneficii certum nomen peto: omnem ei beneuolentiam, si quam uolet, praestari uelim. Id si a te erit impetratum, ita uelim existimes, me de tua bonitate sic interpretaturum, ut simul tuo summo beneficio affectum putem

tuum.

II.

Quam faueo hominibus fauore dignis, tam gratum fuit intelligere ex tuis literis desiderium Sempronii. Quod quanto aequius est, tanto magis illi satisfaciendum puto. Quid enim aequius, quam complecti, qui omni laudis genere abundant? Eo uero Sempronium abundare, tanto minus dubitari debet, quanto magis testimonio tuo id confirmas. Quare iniquus essem, nisi uellem ipsi amicus esse. Ero proinde, neque sola commendatione tua, uerum etiam iudicio meo. Praeterea hoc magis, quo uehementius studium tibi meum probatum uelim. Quantum autem ipsum diligam, tantum abs te peto, tantum ut tute redames

tuum.

III. Quan-

III.

Quantum cupio hominibus fauore dignis, tantum doleo, si quibus commodare nequeam. Atque utinam non esset in iis, quem, uel tua adductus commendatione, prae ceteris adiutum uellem! Quod quanto me dolore afficiat, dici non potest. Nam cum leges amicitiae satis fieri iubent uoluntatibus amicorum, tum iura humanitatis succurri uolunt, si qui officio nostro indigeant. Id enimuero, si quisquam alius, meretur Sempronius; idque uel hoc ipso, quod tam est diligenter abs te commendatus. Quanto autem libentius in iudicio tuo acquiesco, tanto magis doleo, tam iniquas hoc tempore mihi uires esse, ut neque uoluntati meae, neque postulatis tuis, ullo modo respondere possim. Quodsi tamen bona et alibi uoluntas sufficit, quaeso te, hanc probes. Quam si alias re ipsa comprobare potuero, summa id cum uoluptate, gaudioque sum facturus.

CAPVT XII,

DE

EPISTOLIS DEDICATORIIS.

NVlla propemodum re alia differt Dedicatoria a Commendatitia, nisi quod nuncupatione rei cuiuscunque honor cuipiam deferatur. Hic autem partim res ipsa extenuatur; partim merita alterius summopere exaggerantur. Est ergo ipsa epistola Dedicatoria, qua aliquem rei cuiuspiam dedicatione honoramus.

Enthymemata.

I. Aliquid elaboratum eſt. Cum autem tibi multum debeam; Idcirco dedico.
II. Aliquid dedicatum eſt. Cum autem tibi ideo obſtrictus ſim; Hinc ago gratias.

Diſpoſitiones.

I.

Exordium duci poteſt uel a teſtificatione animi grati, tanquam incitamenti interni: uel a recepta conſuetudine: uel a remotione ſuſpicionis uenandae gloriae, aut adulationis.

Antecedens operis alicuius mentionem facit.

Connexio commendat tum rem ipſam, moderate tamen; idque ab honeſto, utili, iucundo: tum perſonam, partim eius, cui aliquid dedicatur; idque ab humanitate, doctrina, meritis, officiis, beneficiis: partim dedicantis, circa quam exponuntur cauſae cum laboris ſuſcepti, tum dedicationis inſtitutae, ad quod genus pertinet ſtudium placendi, animumque gratum declarandi. Ad ἦθος pertinebit, ſi res dedicata modeſte extenuetur.

Conſequens opus ipſum offert, atque nuncupat.

Epilogus orat, ut iſtud aequi bonique conſulatur: item promittit uel maiora, uel meliora: aut animum amplius gratum, officium, obſequium, ſeruitium pollicetur.

II. Ex-

II.

Exordium petitur a nunciatione redditarum literarum,pariter ac missi operis.

Antecedens dedicationis mentionem iniicit.

Connexio laudat tum opus ipsum, tum alterius beneuolentiam, dedicatione declaratam.

Consequens gratias eo nomine persoluit.

Epilogus animum gratum,uenerationem,remunerandi studium,officia, seruitia promittit.

Exempla.

Summa beneuolentia excusabit audaciam nihilo minorem. Voluit,quod cernis opus, magno nomine superbire. Nemini autem iustius,quam tibi,deberi uidebatur. Quae causa fuit, cur sacrum tibi, consecratumque uellem. Est quidem leuidense illud, nec persona tua dignum: ceterum confido, pluris animum offerentis, quam pretium muneris oblati aestimatum iri. Quod ut euenire, nec istud testificandae meae erga te pietatis studium tibi ingratum esse patiaris, demisse, suppliciterque rogo. Tantam gratiam in me collatam enitar mereri precibus,ac uotis, ut nunquam tua cesset felicitas,nec minuatur.

II.

Pergratae mihi literae tuae fuerunt: gratius insigne amoris in me tui. Gratum autem illud non modo ideo, quod dedicatum, sed etiam, quod omni laude dignum. Quare quo plus inde honoris ad me peruenisse puto, hoc essem in

te iniquior, nisi ad omne genus officii tibi me obstrictum profiterer. Quod ut tibi praestare possim, omni tempore sedulo connitar. Interim suffecerit pro beneuolentia in me collata gratias egisse singulares. Si quibus rebus referre potuero, et relaturum me affirmo, daturumque id operam, ut et honoris, quem mihi habuisti, et partium mearum bene memorem me ostendam.

CAPVT XIII,

De

EPISTOLIS TESTIFICATORIIS.

Neque literae Testificatoriae multum differunt a Commendatoriis: barumque possunt species aliqua salutari. Eadem enim et argumenta, et Enthymemata, quae ibi, hic sunt obuia. Est saltem Testificatoria paulo et cultior, quam Commendatitia, et longior, quippe breue uitae curriculum complexa. Tum istud quoque proprium sibi uendicat, quod non ad personam certam, sed promiscue ad lectorem quemcunque dirigatur. Est ergo Testificatoria epistola, qua de uita alterius bene acta testamur, eundemque lectori beneuolo commendamus.

Enthymema.

Testimonium uitae desideratum est. Cum autem illud denegari non potuerit; Igitur perhibetur.

Dispo-

Dispositio.

Exordium exprimit consuetudinem bonos,aut bene meritos testimonio aliquo ornandi.

Antecedens discessum amici commemorat, pariter et cupiditatem eius exponit testimonii uitae, ante actae, sibi impertiendi.

Connexio est I ab aequo, quia ille meritus fuerit nostrum testimonium : II ab honesto : nam illum praecellere multis dotibus, doctrina, moribus : III ab utili, quia speremus, eundem aliquando utilem operam Ecclesiae, aut reip. nauaturum.

Consequens dicit, eundem igitur illum testimonio nostro ornandum, ac lectori beneuolo commendandum fuisse.

Epilogus animum promittit gratum cum commendati, tum commendantis : aut pollicetur, quicquid beneuolentiae lector in amicum collaturus sit, illud tum ipsum animo grato esse agniturum, tum nos data occasione remuneraturos; aut, si id nequeat fieri, Deum certe id tanto largius compensaturum.

Exemplum.

Discessit a nobis Titius. Qui cum testimonium uitae a nobis petierit, hoc ipsi negandum minime uidebatur. Bonorum uirorum est cum amare uirtutem: tum, qui illam amant,eosdemque adiutos uelle, si qua in re iuuare possint. In his autem nomen suum profitetur Titius, qui eximiae uirtutis merito iam pridem amores bonorum omnium sibi conciliauit. Nam et summa est in eo probitas, et officium,et modestia, et inte-

integritas, et si qua ornamenta alia tales homines condecent. Quod sicut bona fide de Titio testari possumus: ita tibi, Lector beneuole, eum diligenter commendatum uolumus; atque ita, ut maiore studio, magisque ex animo commendare nequeamus. In quem si quid conferes, ita statue, te non minus de ipso, quam de publica re bene meriturum. Dabit quoque Titius id sedulo operam, ut, si quid in se contuleris, illud et aestimet recte, et pro eo, ut par est, prosequatur: certe ne ingratus unquam, aut immemor uideri possit. Nos item, si forte uoluntati tuae uicissim gratificari potuerimus, id enitemur, ne qua occasio commodis tuis inseruiendi nobis elabatur. Vale, L. B. et feliciter age.

CAPVT XIV, DE EPISTOLIS CONSOLATORIIS.

Magna hic arte, si usquam, opus, magna cautione. Diligenter cum eorum, quos consolemur, tum ipsius etiam temporis ratio habenda. Id ni fiat, saepe aethiopem dealbaueris citius, quam moerorem non dicam absterseris, sed minueris. In hoc itaque genere, si quid possit scribens, uel in primis apparebit. Aliter enim agendum est cum iis, quorum animus est infirmior: aliter cum his, quorum animus erectior. Aliter item cum uiro forti, sapienti, cordato: aliter cum ignauo, animiue impatientis. Tum tem-

tempestiua debet esse consolatio, ne uulnus crudum adhuc, et recens, exulceretur potius, quam persanetur. Quod si cum uiris, excelso animo praeditis, res est, dicendum, fortitudini illorum gratulandum esse potius, quam dolori medendum: neque nos tam consolari uelle, cum satis perspectam habeamus eorundem cum sapientiam singularem, tum inuictam animi magnitudinem, omni infortunio maiorem; quam nostrum animi dolorem indicare. Postea afferemus argumenta, quibus nostrum potius, quam aliorum dolorem leniamus. Sin res fuerit cum ingeniis imbecillioribus, debemus, quo facilius remedium persuadeamus, primum illorum fieri similes, et acerbissimum prae nobis dolorem ferre: causas doloris mirifice exaggerare, cum a mali magnitudine, tum ab eius, qui patitur, indignitate: ostendere, malum illud uiris bonis omnibus dolere. His ita rebus si qua beneuolentia collecta fuerit, dicendum: ueruntamen nimio, aut diuturno moerore nihil profici, immo ea re malum cumulari malo, et periculum ualetudinis, uitaeque ipsius accersi: uideri autem arrogantis esse, si quis solus uelit, contra mortalium communem legem, sese immunem esse ab aduersis rerum: quae quidem hoc fortius tandem ferenda sint, quod, sicut rerum omnium, ita aduersarum, perinde ut secundarum, perpetua quaedam uicissitudo detur. Addemus, malum minime diuturnum fore, sed breui finem habiturum: quodsi tamen perpetuum futurum sit, aut prorsus negabimus malum esse, eo quod nihil sit malum existimandum, docente Aristotele, quod citra culpam homini obtigerit: aut eleuabimus: aut fore

utile docebimus, cum nullum tam graue malum ſit, unde non aliquid commodi decerpi queat: aut a Deo propitio immiſſum monebimus, corpori quidem moleſtum, ceterum animae ſalutare: et ſi qua ſunt alia, quae dolorem leuare queant. Quantum ad tempus attinet, hoc praecipue captandum, neque utendum ſolatiis, ubi dolor eſt adhuc recentior, acerbiorue, quam ut manus medentes patiatur. Dicemus proinde hic loci, ideo nos tam ſero ad conſolandum accedere, ne uulnus nimis recens exulceremus potius, quam ſanemus. Nunc autem, cum tempus ipſum, tanquam optimus medicus, dolorem, ſi non penitus ſuſtuliſſe, certe minuiſſe uideatur, conſolationem noſtram non modo otioſam, et ſuperuacaneam; uerum etiam pernicioſam uideri. Vereri enim nos, ne uulnus, ſemel coalitum, refricemus. Quapropter nos conſtituiſſe ſolis bene precandi partibus defungi, ac Deum orare immortalem, ut nihil amplius in alterum licere uelit caſibus iniquis; utque tempeſtatem hanc ſempiterna ſerenitas, perpetua felicitas ſubſequatur. Ad Conſolantes autem literas quemadmodum ſit reſpondendum, res ipſa conſilium dabit. Solatium enim aut profuit, aut non profuit. Ibi laudatur primo officium; deinde, quod nihil adduci poſſit ad dolorem leniendum, quod alter non ſumma dicendi facultate perſcripſerit, quippe quare effectum, ut aut bona doloris pars dempta, aut totus excuſſus ſit: bic autem laudabitur animus, ſtudium, ingenium, et quod nihil quidem non remedii admotum ſit; ſed arte maius eſſe malum uideatur. Vtrobique gratiae pro officio aguntur. In uniuerſum epiſtola

Con-

Consolatoria ualde est affectuosa. Nam et testamur beneuolentiam: et ostendimus, angi nos alieno damno: et spem boni concitamus, quod malo huic opponi queat: et pudorem nonnunquam ingerimus ob animum effoeminatum: et aemulationem excitamus exemplis eorum, qui calamitates aequo animo tulerunt. Quod reliquum est, themata possunt esse de morbo corporis, de ualetudine parum prospera, aut firma, de matrimonio parum bonis auibus contracto, de exilio, de molesta paupertate, de inuidia, de rebus siue incendio, siue casu alio ereptis, de beneficiis apud hominem ingratum collocatis, de pestilentia, de bello, de quauis calamitate alia. Est proinde epistola Consolatoria, qua quempiam, fortuna afflictum, erigimus, et solamur.

Enthymemata.

I. Malum accidit. Quia uero id Deo auctore contigit, et dolore nihil efficitur; Illud patienter feres. II. Solatium datum est. Cum autem omne malum a Deo ueniat, et moerore nihil proficiatur; Ideo toleranter feram.

Dispositiones.

Exordium declarat dolorem, ex nuncio captum: uel officium amicitiae adducit, cuius dicitur esse amicum afflictum consolari: uel alterius sapientiam, et fortitudinem, aut constantiam collaudat.

Antecedens mali, quod cuipiam euenerit, mentionem facit.

Connexio peti poteſt I ab auctore Deo: II a ſubiecto patiente, eiusque magnitudine animi, conſtantia, bona conſcientia, ſapientia: III a neceſſario, quo loco dicitur, uitam humanam, in primisque Chriſtianam, multis aduerſis obnoxiam eſſe: IV ab utili: calamitatem ad multa prodeſſe, excitare ad amorem Dei, inflammare ad preces, ducere ad agnitionem humanae imbecillitatis, reprimere prauas cupiditates: V ab inutili: nimio moerore, et impatientia nihil profici: VI a pernicioſo: immo dolore nimio malum exaſperari, Deumque offendi: VII a decoro: decere creaturam ſine murmure creatori obſequi, hominem Chriſtianum obtemperare uoluntati Dei, uirum fortitudinem, animique conſtantiam in aduerſis declarare: VIII a facili, ubi afferuntur ea, quae aliquid momenti ad aerumnas minuendas afferre poſſint, ut ſunt: miſera temporum facies, rerum aduerſarum cum ſecundis collatio, calamitatis cum tempore emollitio, praeſidii a uirtutibus, patronis, amicis expectatio, breuis calamitum duratio: IX a poſſibili: nullam calamitatem eſſe tantam, quin patiendo uincatur: X a iucundo: utut ſors ingrata nunc inciderit, tamen uenturum eſſe tempus, quo uoluptatem gignat malorum praeteritorum recordatio: XI a glorioſo: patientiam conſeruaturam eſſe priſtinam conſtantiae, et magnitudinis animi laudem; contra nominis honorem impatientia obfuſcatum, et imminutum, hoſtibusque gaudium excitatum iri.

Conſequens ſolatium porrigit, uel monitum, aut petitionem, ut modus dolori adhibeatur.

Epilo-

Epilogus unum, itemque alterum argumentum repetit, et ad patientiae ſtudium exhortatur. Voto item ſortis melioris eſt locus.

II.

Exordium beneuolentiam amici commendat.

Antecedens, eam ſolatio declaratam eſſe, commemorat.

Connexio argumenta quaedam ex epiſtola priori repetit, pariter et aſſenſu confirmat.

Conſequens aequum in calamitate animum pollicetur.

Epilogus gratias pro ſolatio perſoluit, res ſecundas apprecatur, et ſtudium, officiumque offert.

Exempla.

I.

Quo triſtrior nuncius allatus eſt, hoc maiorem animo dolorem cepi. Eſt enim allatum, te calamitate affectum angi ualde animo, et contriſtari. Quare, cum ipſe conſolatione egeam; uix mearum eſt uirium medentes afferre uoces, ac dolori tuo remederi. Quanquam ne tu quidem ſolatio alieno indigere uidearis, qui pro tua ſapientia ſingulari per te perſpicias, ac ſponte recogites, homines nos eſſe, ea lege natos, ut omnibus fortunae telis propoſiti ſimus: tum, quo auctore mala, aeque ac bona eueniant: poſtea, qui uulnus inflixerit, eundem et perſanare poſſe: denique luctu, et ſqualore tantum abeſſe, ut malum leniatur, ut potius exacerbetur; contra ferendo fieri leuius. His de cauſis igitur

tur nullum eſt dubium, quin caſum tuum magno, infractoque animo feras. Vt rerum omnium uiciſſitudo eſt: ita erit, ubi malum hocce breui maior felicitas conſequatur.

II.

Et lacrymae uultum, et dolor uiſcera reliquit, cum literae tuae occuparunt manus. Loquebantur enim hae tuum affectum: affectus candorem probabant argumenta, ſolatii plena. Principem inter haec locum ſibi uindicabat aeterni numinis uoluntas: alium neceſſitas ferendi aduerſa rerum: et ſi qua fuerunt alia, in quibus tuumne in me amorem mirarer magis, an pondus, haud ſatis ſciebam. Quare non minus dolorem meum deterſerunt illa, quam tibi me obſtrictum dederunt. Quid igitur reliquum eſt, niſi, ut cum feram moderatius, quod euenit, tum gratias tibi agam prorſus ſingulares. Nequedum tamen pietas acquieſcit, Deum immortalem comprecans, ut tibi ſemper ſit bonus, ac propitius, nec ſinat, quicquam porro in te licere caſibus iniquis, et omni poſtea felicitatis genere te cumulatum uelit.

PARS

PARS SECUNDA, DE EPISTOLIS GENERIS DEMONSTRATIVI.

GEnus Demonstratiuum siue laudem, siue uituperium demonstrat: unde adeo et nomen tulit. Cuius quidem generis formae dantur hae: Laudatoria, Gratulatoria, Valedictoria, ἐπιβατήριον, Salutatoria, Votiua, Propemptica, Gratiarum actoria, Obiurgatoria. In literis hisce omnibus aut laudamus, aut uituperamus. In prima laudamus bonum factum: in secunda bonum illud extollimus, quo quispiam auctus sit.: in tertia laudamus amici beneuolentiam: in quarta reditum nostrum: in quinta reditum alterius: in sexta bonum alterius praeteritum, perinde ac praesens: in septima abitum alterius: in octaua beneficium: in nona autem aliquid improbamus. Tametsi uero Salutatoria ad Gratulantem, et Propemptica ad Votiuam pertinet: tamen, cum rhetores propria iis loca constituerint, illos hac in parte sequendos duximus. Ceterum in hoc genere amoris praecipue, odiique negotium geritur. Iamque de singulis generis huius epistolis nunc seorsim uideamus.

CAPVT I, DE EPISTOLIS LAVDATORIIS.

SVnt, qui laudationem a collaudatione distinguant. Praeter rem, ut opinamur. Atque collaudatio iis refer-

refertur ad nostros, ueluti ad liberos, seruos, famulos, cognatos, proptereaque iubetur esse parcior: laudatio uero ad alios, eosdemque siue notos, seu ignotos; eoque nomine prodigalior laudis, atque praedicationis dicitur. Nos tamen unum ex utraque caput confecimus. Ceterum recentius, iuxta et rarius epistolae genus est, in quo aliquem, uita defunctum, laudibus efferimus: ac solent huiusmodi epistolae, in exemplum orationum funebrium, Parentatoriae appellari. Quod est ad Laudatorias, quibus uiuos ornamus, potest quispiam propter res easdem collaudari, ad quas suscipiendas, aut peragendas, et exequendas, monitis, hortationibusque excitari potest. Atque est adeo epistola Laudatoria, qua aliquem, ut officio suo functum, laudibus efferimus.

Enthymemata.

I. Officium factum est. Cum autem hoc omni laude dignum sit; Hinc laudo. II. Tributa laus est. Cum autem tantam non meruerim; Idcirco deprecor.

Dispositiones.

I.

Exordium peti potest ab affectu gaudii.

Antecedens causam laudis impellentem affert, quae fere est res gesta.

Connexio argumenta laudationis subiicit, petita ab iis, quae in personarum, rerum, factorum laudibus adhibentur.

Consequens laudem ipsam, siue elogium sistit.

Epilo-

Epilogus praecisione constat, aut laudis repetitione, aut adhortatione, et studiorum, officiorumque pollicitatione.

II.

Exordium habet narratiunculam redditarum literarum.

Antecedens elogii mentionem facit.

Connexio extenuationem scribentis subiicit, et uno, itemque altero argumento confirmat, atque adeo argumenta epistolae prioris refutat.

Consequens laudem immeritam modeste deprecatur.

Epilogus affirmat, scribentem daturum operam, ut se in posterum laude tributa dignum praestet; pariter ac studia, officia, obsequia promittit.

Exempla.

I.

Si uerba suppeterent animo, laudare merita tua conarer. Sed uereor, ne cogar laudes tantas, ut Flaccus inquit, culpa deterere ingenii. Meruisti enim tantas, quanta sunt merita tua, de quibus fama percrebuit. Etenim te allatum est ea exequi, quae suadet officium, et in omne genus laudis nauare operam, et ad omne decus, persona tua dignum, te exercere. Haec maiora sunt, quam ut laudibus meis digne celebrari posse uideantur. Quare, Timantem imitatus, quod penicillo exprimere nequeo, uelo contegam. Tu autem perges eundem tenere cursum, neque dubitabis, quin honos, nomenque

que tuum, ac laudes in perpetuum maneant: quarum ego ero prae ceteris

ingenuus praeco.

II.

Accepi literas tuas, ut effusi amoris plenas, sic mihi pergratas. Me laudas, atque eo ipso amas: hoc impensius, quo magis laudas. Vtinam uero laudes, quas in me confers, possem credere non magis ab amore, quam a iudicio profectas! Crederem, quae de me scribis, nisi testimonio illi, praeter conscientiam meam, fama ipsa tuae in omnes humanitatis obstreperet. Quare totam equidem sic accipio laudationem, non ut illam ullis meis meritis, sed ut tuis moribus assignem. Connitar quidem, id quod ago, talis esse, qualem me praedicas: sed, cum talis nondum uidear, interea fas erit laudes tuas deprecari. Ceterum quo me collaudas benignius, hoc ero

laudum tuarum
aequior praeco.

CAPVT II,
De
EPISTOLIS GRATVLATORIIS.

Qvanquam Gratulatoria opposita est Consolatoriae: tamen non utraque eodem genere continetur. In Consolante enim suademus potius: contra in Gratulante potius laudamus. Laudamus autem

tem et merita, et fortunam alicuius. Bonum uariis rationibus attollimus: siue quod per se sit eximium: siue quod a multis frustra ambitum: siue quod ultro delatum: siue quod merito uirtutis, et bonorum iudicio contigerit; non autem uel coeco fauore fortunae, uel beneuolentia hominum: siue, quod praeter spem euenerit. Merita hoc modo exaggerabuntur: amplissimum quidem esse illud, quod obtigerit; ueruntamen inferius meritis alterius: nec id praemium uirtutis esse; sed gradum ad iusta illa praemia, quae meritis alterius debeautur. Tractationi utrique Gratulationem subiiciemus, ac postea bene precabimur, ut, quod obtigerit, sit alteri, ac reip. perpetuo felix, ac faustum. Potest autem Gratulatio esse natalitia, onomastica, nuptialis, honoris, dignitatis, muneris publici, recuperatae ualetudinis, liberationis a periculo, metu, calamitate; restitutionis in integrum, uictoriae, pacis, sortis melioris. Est epistola Gratulatoria universe, qua bonum, quod alteri acciderit, ei gratulamur.

Enthymemata.

I. Bonum tibi euenit. Quod cum omnes gratulentur; Ego quoque gratulor. II. Gratulatus es. Cum autem ea re tibi obstrictus sim; Hinc gratias ago.

Dispositiones.

I.

Exordium duci potest uel ab affectu laetitiae: uel a consuetudine: uel ab amicitia, amore, bene-

uolentia: uel denique ab excusatione serae gratulationis.

Antecedens bonum illud nominat, quod alteri obtigerit.

Connexio sumitur uel a re ipsa, seu bono: uel a persona, cui gratulamur. Bonum commendatur I ab honesto, ita, ut dicatur, illud uirtute, et meritis alteri contigisse: II ab utili, et effectis, scilicet, quod plura alia commoda, et ea siue publica, siue priuata sit allaturum: III a difficili, quod a multis quidem expetitum, a paucis uero impetratum fuerit: IV a facili, quod consentientibus uel omnibus, uel plerisque, et iis optimis, obtigerit: V a magno. Persona ab attributis, industria, uirtutibus, ac meritis, quibus bonum consecuta sit, laudatur.

Consequens bonum illi gratulatur.

Epilogus sistit uotum pro boni adepti bono euentu, atque diuturnitate: adhortationem, eandemque siue apertam, siue tacitam, ut alter fortuna dignum se praestet: promissionem studii, officii, obsequii, seruitii: rogationem fauoris, aut patrocinii.

II.

Exordium significat, literas, nobis redditas, fuisse gratas.

Antecedens mentionem facit editae gratulationis.

Connexio affirmat, amorem, aut beneuolentiam alterius erga nos eo nomine fuisse declaratam: item merita propria, uirtutesque extenuat: denique fatetur, scribentem alteri propter gratulationem uehementer obstrictum esse.

Con-

Consequens pro gratulatione gratias agit.

Epilogus uotum felicitatis mutuae subiungit, et studia, atque officia pollicetur.

Exempla.

I.

Non possum uerbis consequi, quantum laetitiae, uoluptatisque nuncius attulerit, quo neque optatior, nec iucundior afferri potuisset. Est enim nunciatum --- Cepisti et animi tui in bonos, et summae pariter uirtutis fructum. Fructum eum, quem cum boni omnes, tum ego in primis tibi sum apprecatus. Ego, inquam, qui hoc maiorem tibi pietatem debeo, quo magis tuam erga me beneuolentiam perspexi. Atque eadem nunc causa est, quamobrem tibi bonum tuum ex animo, uehementerque congratuler: eadem item, cur Deum immortalem porro inuocem, ut idem illud bene tibi fortunet, propriumque, ac perpetuum esse uelit: eadem denique, cur summo Numini supplicem, ut aliis super aliis felicitatis generibus te et in posterum cumulet, saluumque semper, et incolumem, et diu superstitem esse uelit.

II.

Accepi tuas literas, ex quibus magnam laetitiam, uoluptatemque cepi. Dabant enim amoris in me tui singularis documentum, eo quod meam mihi fortunam gratulabantur. Agnosco pietatem tuam erga me: studium, caritatem, fidem, ita plane cerno, tanquam illa, quae oculis

cerni possunt. Quibus rebus ut maiorem in modum tibi me deuinctum intelligo : ita et gratias ago singulares, et referam, si quando locus erit, ac facultas. Sicut studium mihi semper fuit, ut gratus essem aduersus omnes : ita erit, ut in primis uidear esse erga te.

CAPVT III,

De

EPISTOLIS VALEDICTORIIS.

Valedicimus paribus dignitate, aut superioribus. Scribimus autem tanto accuratius, et humanius, quanto plus iis, quibus ualedicimus, debemus; aut, quo plus eosdem amamus, arctiusue complectimur. Hinc fere simul locus est gratiarum actioni, iuxta atque uoto effusiori. Estque epistola Valedictoria, qua discedentes cuipiam ualedicimus.

Enthymemata.

I. Abeundum est. Cum autem te mihi beneuolum cognouerim; Ideo ualedico.
II. Dixisti uale. Hoc autem magnum beneuolentiae documentum est. Quapropter abitum auspicatum precor.

Dispositiones.

I.

Exordium potest desumi a dolore, quod consuetudine alterius nobis sit carendum.

Antecedens discessum significat.

Con-

Connexio ducitur ab alterius fauore, praestitisque nobis officiis, aut collatis in nos beneficiis.
Consequens ualedicit.
Epilogus addit uotum incolumitatis, et petitionem beneuolentiae, nobis porro conseruandae.

II.

Exordium declarat dolorem, ex alterius literis perceptum.
Antecedens literarum argumentum repetit.
Connexio petitur ab amicitia sincere culta, huiusque officiis, et documentis.
Consequens felicem discessum, aut, si res ita ferat, itum, reditumque auspicatum apprecatur.
Epilogus scribentem beneuolentiae perpetuae commendat, mutuamque pollicetur.

Exempla.

I.

Vt singulari semper obseruantia te colui: ita putaui faciendum, ut meum tibi consilium aperirem. Id uero eo pertinet, ut mutem locum, magnisque et fautoribus, et amicis dicam uale. In quibus cum te uel principem cognouerim, essem profecto inhumanus, si te insalutato abirem. Tanta enim fuit tua in me beneuolentia, ut dubitem, cuipiamne plus, an tibi debere uidear. Quo magis pietatem in te meam profecturus declaro. Deum autem immortalem quaeso, ac ueneror, uti saluum te, incolumemque, ac felicem diu praestet, omnique prosperitatis genere auctum uelit. Quod sicut ab ipso

precari non desinam: ita te uehementer rogo, ut perpetua beneuolentia comprehendas

tuum.

II.

Quantum laetitiae cumulum mihi attulit tuarum conspectus literarum, tantum doloris literarum argumentum propinauit. Te enim significabant abeundi consilium cepisse. Quae res quanta me tristitia affecerit, dici non potest. Hoc enim magis angi me necesse est, quo uehementius optaui quam diutissime tecum esse. Sed tamen cum non dubitem fore, ut neque consilii tui te poeniteat, nec absens minus me amare pergas, reprimam me, et dolere desinam, Deumque precabor potius, ut iter tuum bene uertere, ac fortunare uelit, teque saluum diu, et incolumen praestare. Quod superest, maximopere a te peto, ut eadem in posterum, qua consueuisti, nec mutata quicquam beneuolentia complectaris

tuum.

CAPVT IV,

DE

EPISTOLIS ΕΠΙΒΑΤΗΡΙΟΙΣ.

Etsi haec forma epistolica nihil est aliud, quam quaedam reditus nunciatio: tamen, quoniam cum Valedictione arctissime connexa est, eam hoc loco tradendam esse putauimus: praesertim cum hoc ipsum a rhetoribus factitatum reperiamus. Latino nomine quibusdam salutatur Aduentitia, et est, qua cuipiam

piam reditum nostrum significamus, pariter et officia, atque obsequia promittimus.

Enthymemata.

I. Itinere confecto redii. Cum autem tuam olim beneuolentiam expertus sim; Hinc reditum significo. II. Nunciasti reditum. Qua ex re cum fauor tuus eluceat; Ideo ago gratias.

Dispositiones.

I.

Exordium petitur a diuturno, quod fuerit, alterum reuisendi desiderio: aut a beneuolentia alterius erga nos.

Antecedens reditum nostrum significat.

Connexio accersitur a pristinis erga scribentem studiis, officiis, beneficiis alterius.

Consequens officia, aut seruitia offert.

Epilogus bene precatur: item fauori alterius constanti scribentem commendat; aut etiam totum ipsi deuouet.

II.

Exordium indicat, redditas esse literas, gaudiumque, exinde captum, significat.

Antecedens pergit, id exinde natum esse, quod alter loco pristino sit redditus.

Connexio. Vt omnes boni ex reditu egregii hominis uoluptatem capiant singularem: ita pariter non potuisse non scribentem eandem capere; idque eo magis, quia alter beneuolentia singulari

ſcribentem dignetur. Illam autem uel ex grata reditus nunciatione eluxiſſe.

Conſequens: Quare non poſſe non ſcribentem nuncianti ingentes agere gratias, pariter atque eidem de reditu auſpicato gratulari.

Epilogus praemia cum laborum in univerſum omnium, tum exantlati maxime itineris amplisſima apprecatur, ſcribentemque fauori perpetuo commendat.

Exempla.

I.

Vt me, abſentem quoque, ſingulari, quemadmodum ſpero, beneuolentia complexus es: ita ſperaui te non aegre laturum meas literas, quibus profeſtionis meae exitum tibi ſignificarem. Redii, eoque nomine uehementer laetor. Spem enim res illa affert, fore, ut breui uoti mei diuturni compos fiam, fauorisque tui, tanquam Solis cuiusdam, radiis propius reficiar. Quibus ut me olim nunquam non recreare dignatus es: ita pariter in poſterum, ut ſpero, uoles. Quod confore quanto certius mihi perſuadeo, tanto minus putaui differendam eſſe reditus ſignificationem. Neque culpabis officium, et porro beneuolentia tua me ampleſtendum duces tuum.

II.

Literae tuae ingentem mihi laetitiae cumulum attulerunt. Perſpexi enim ex iis, te tuis perauſpicato redditum. Iam ſicut boni omnes ex praeſentia tui laetitiam, uoluptatemque maximam

mam cupiunt: ita me pariter, nisi uelim uideri improbus, oportet. Accedit, quod acriori, quam alii, incitamento ad rem eam impelli uidear. Id enimuero amor est tuus in me singularis, quem uel iucundissima reditus tui nunciatione testatum fecisti. Quo uel uno nomine quemadmodum non uulgariter tibi me deuinctum tenes: sic de itinere confecto tibi ex animo gratulor. Dehinc opto, ac precor, ut Deus immortalis laborum fructus exantlatorum uberrimos tibi impertiatur, teque et porro fauere iubeat

tuo.

CAPVT V,
DE
EPISTOLIS SALVTATORIIS.

M. Valerius Martialis, praefatione libri duodecimi, *epistolae aduentoriae meminit. Sic enim scribit:* Statui paucissimis diebus, ut familiarissimas mihi aures tuas exciperem aduentoria sua. *Quo nomine* Ludouicus Coecilius Rhodiginus, Lectionum Antiquarum L. XXVIII, *putat, intelligendam esse* epistolam eam, quae aduentanti amico obuiam mittatur. *Quicquid huius rei sit, est Salutatoria species quaedam epistolae Gratulantis, quippe cum felicem alicui reditum illa gratulemur. Veruntamen, cum nihilominus ab aliis seorsim tractari soleat, et nobis uisum est eundem seruare morem.*

I 5 *Enthy-*

Enthymemata.

I. Rediiſti ſaluus. Cum autem omnes boni ideo gratulentur; Igitur ego congratulor. II. Gratulatus es reditum. Quandoquidem autem hoc eſt magnum beneuolentiae teſtimonium; Merito te amo.

Diſpoſitiones.

I.

Exordium ducitur a laetitia, ex reditu alterius percepta.

Antecedens cauſam ſcriptionis impellentem, hoc eſt, reditum, confectumue iter meminit.

Connexio petitur ab amicitia, officiis, beneficiis alterius.

Conſequens reditum auſpicatum gratulatur.

Epilogus ſubiungit uotum proſperitatis.

II.

Exordium ſignificat, literas eſſe redditas.

Antecedens earum argumentum, ſeu gratulationem reddit.

Connexio affectum collaudat, re ea declaratum, iuxta ac ſcriptorem eo nomine alteri uehementer obſtrictum eſſe, profitetur.

Conſequens gratias maximas perſoluit.

Epilogus facultatem, atque occaſiones inſeruendi exoptat.

Exempla.

Quod hucusque a Deo immortali precatus ſum, id me nunc conſecutum eſſe, uehementer laetor.

laetor. Rediisti saluus, atque incolumis, tantoque felicior, quanto plura pericula aegre profectos manent. Qua de causa exultant omnes, laetitiisque incedunt omnibus, pariter ac laetitiae signis laetitiam exprimunt, certatimque gratulando immensam prope gaudii uim testificantur. Eo essem iniquior, si, quod tot alii ad sese pertinere putent, id unus omitterem, neque gaudium meum pari officio comprobarem: cum praesertim, quantum tibi debeam, minime ignorem. Quapropter aeque, quam ceteri, neque segnius, animi gestientis documentum edo, tibique adeo reditum tuum pie, uehementerque congratulor. Praeterea Deum quaeso, ac obtestor, porro te saluum uti praestet, utque incolumem, utque bonis omnibus, rebusque secundissimis omnibus auctum semper, cumulatumque seruet.

II.

Redditae mihi sunt tuae literae, et in iis amoris in me tui singularis documentum. Namque tibi de reditu meo mihi gratulari placuit. Quo nomine quantopere tibi me obstrictum putem, uerbis exprimere nequeo. Plus enim tibi eam ob rem me debere intelligo, quam ut sim soluendo. Perspexi enim exinde, quantum mihi faueas, quantumque cupias. Quam tuam erga me uoluntatem tanto quidem pluris facio, quanto minus merui. Quo minus intermittere debeo, quin tibi pro tam insigni eius testimonio agam gratias, habeamque immortales. Si quando re-

do referre potuero, dabo et operam, uti referam: sin minus, acquiesces in prompta uoluntate tui.

CAPVT VI,
DE
EPISTOLIS VOTIVIS.

VT Gratulatoriae felicitatem praesentem, ita Votiuae futuram respiciunt. Quapropter illae gratulando, hae bene precando continentur. Quoniam uero praeter Strenam, quam uocant, et Propempticam, nulla propemodum Votiua alia reperitur: hoc capite Votiuam Kalendarum Ianuariarum exponemus. Quae quidem quodammodo mixti est generis. Nam cum felicem anni praeteriti exitum, itemque recens exorti ingressum gratulamur: tum etiam exoptatum huiusce et progressum, et consummationem apprecamur. Sic tamen breuiter Votiua definitur: Votiua est, qua cuipiam felicitatem aliquam, exempli causa, Kalendas Ianuarias apprecamur.

Enthymemata.

I. Annum ingressus es. Quem cum alii faustum, ac felicem apprecentur; Igitur et ego apprecor. II. Annum nouum apprecatus es. Quo officio quia mutuum prouocasti; Propterea tantundem reprecor.

Dispo-

Dispositiones.

I.

Exordium petendum eſt ſiue ab excuſatione audaciae ſcribendi; ſiue a conſuetudine, exempli gratia, tali tempore bene precandi.

Antecedens exponit ſcriptionis cauſam, exempli cauſa, ingreſſum noui anni.

Connexio petitur a ſcribentis pietate, gratiue animi officio: uel ab alterius beneficiis, aut officiis, in nos collatis.

Conſequens partim gratulationem, partim uotum complectitur.

Epilogus ſcriptorem fauori alterius perpetuo commendat, et officia offert.

II.

Exordium nunciat, gratas fuiſſe literas.

Antecedens argumentum earum repetit.

Connexio petitur ab affectu, per illud declarato.

Conſequens agit gratias.

Epilogus uotum uoto compenſat, et aut ſtudia, atque officia mutua; aut obſequia, et ſeruitia pollicetur.

Exempla.

I.

Cum nunquam non animum in te meum, tum hoc in primis tempore approbare debeo. Nam et annum proximum feliciter exegiſti, et etiam recens incipientem auſpicato es ingreſſus. Hinc certatim omnes officium faciunt, gaudiumque, quod ex felicitate tua capiunt, gratulando

lando exprimunt, ac declarant. Id uero ipſum niſi una facerem, tanto eſſem profecto iniquior, quanto plus tibi uideor debere. Sicut itaque plurimum tibi debeo: ſic minime omnium intermittere poſſum, quin tibi cum de anno exacto, tum de recens incepto ex animo congratuler: quin Deum pariter orem, atque obteſter, ut te cum per annum huncce, tum per complures, ſi qui erunt, ſaluum, ſoſpitem, atque incolumem praeſtare uelit. Quod ſicut precari nec in futurum deſiſtam tempus: ita rogo, ut beneuolentia perpetua complectare

tuum.

II.

Quo plus beneuolentiae literae tuae continebant, hoc mihi fuerunt iucundiores. Nam et exitum anni ſuperioris, et recens ingreſſi auſpicium gratulatae ſunt: immo hunc, ſimul cum multis aliis felicem, ac fauſtum precatae. Inde uero ſicut amor erga me tuus ſingularis eluxit: ita me fateri neceſſe eſt tibi ſummopere me obſtrictum redditum. Quo minus poſſum facere, quin tibi pro tam egregio in me officio collato gratias agam, habeamque ſingulares. Deum etiam, quod ſupereſt religioſiſſime precor, ut ſaluum te, ſoſpitemque praeſtet, et non hunc modo, ſed plures alios poſt tergum annos ordinare iubeat.

CAPVT

CAPVT VII,

DE
EPISTOLIS PROPEMPTICIS.

Epistola Propemptica species quaedam est Votiuae. Veruntamen nos eam seorsim ponendam duximus: tum, quod huius rei auctores habeamus rhetores: tum uero etiam, quia praeter hanc Votiuam, et Strenam, ferme nulla alia Votiua reperiatur. Neque uero semper Propempticae est locus, quandoquidem saepe responsio ad Valedictoriam uicem Propempticae obit. Sicubi ergo praecedit Valedictio, cessat Propemptica. Ea scilicet Propemptica, quae libere scribitur. Si quando autem Valedictio nulla antecesserit, tunc Propemptica locum habet, et ultro scribitur: idque pietatis, et obseruantiae causa, ad superiorem dignitate, cui quoquo pacto nos obstrictos intelligamus. Quae quidem Propemptica occurrit gemina. Siue enim demigrat quispiam, siue est rediturus. Ibi locus est querimoniae de fortuna, quae tanto nos dolore afficiat, tantoque amico priuet. Enarratis hinc amici, uel patroni laudibus, aut beneficiis, stabilis ipsi felicitas nouetur. Hic uero dolori locus de interrumpenda consuetudine, aut praesentia. Postea laus beneuolentiae, in nos collatae, et officiorum, aut beneficiorum celebratur. Tum felicem abitum; aut felicem itum, reditumque apprecamur. Quin etiam est, ubi gratulandum sit, puta, si quis cum imperio, uel exercitu, uel ut legatus, mittatur quoquam. Quod

ubi

ubi ſit, argumenta laudis a genere, uirtute, fortuna, meritis arceſſenda. Sed generatim epiſtolam Propempticam definimus. Eſt, qua cuipiam fauſtum abitum apprecamur.

Enthymemata.

I. Abitum paras. Quia vero tibi ſum obligatus; Eo bonum euentum abeunti precor. II. Iter bene precatus es. Quo nomine cum multum tibi debeam; Magnas ago gratias.

Diſpoſitiones.

I.

Exordium ſcribentis triſtitiam commonſtrat: aut deſiderium diuturnioris conſuetudinis exponit: aut querimoniam inſtituit de fortuna, quod tanto nos dolore afficiat.

Antecedens doloris cauſam, puta, deſtinatum alterius diſceſſum, ſubiicit.

Connexio ſumitur a beneuolentia, in ſcribentem collata; aut a praeſtitis ipſi ſiue officiis, ſiue beneficiis: aut a priſtina conſuetudine, et familiaritate quotidiana: aut ab incommodis, ſcriptori in poſterum, propter alterius abſentiam metuendis.

Conſequens felicem, fortunatumque abitum diſceſſuro apprecatur.

Epilogus uotum ſubdit perpetuae felicitatis, ſimulque ſcribentis memoriam abiturienti diligenter commendat.

II. Ex-

II.

Exordium petitur a narratiuncula literarum redditarum.

Antecedens a uoto itineris, in iis accepto.

Connexio ab amore amici, per illud prodito, pariter atque ab obligatione ſcribentis ad gratias agendas, per idem illud uotum producta.

Conſequens ipſas agit gratias, ſimulque ualedicit.

Epilogus uotum uoto compenſat, et felicitatis perpetuitatem abeunti apprecatur.

Exempla.

I.

Vehementer, ſi unquam, nunc certe doleo. Doleo autem, quod abitum paras. Doleo porro hoc uehementius, quo pluribus nominibus tibi me obſtrictum ſcio. Tanto minus, quin fauſtis ominibus abeuntem te proſequar, intermittere debeo. Quo pluribus autem periculis proficiſcentes ſunt expoſiti, hoc magis bonum abeunti tibi euentum precor. Deum ſane precor immortalem, ut omni fauore iter tuum indulgentiſſime proſequatur, ſemperque ſaluum, et incolumen te praeſtet, diuque conſeruet. Quod reſtat, quaeſo, ut ſanctum, illibatumque porro fauorem tuum ſerues

tuo.

II.

Reddita mihi eſt tua epiſtola, in qua tibi placuit iter meum fauſtis ominibus proſequi. Sim ingratus, niſi inter ſigna amoris tui in me ſingula-

gularis id referendum putem. Quod dum sic ſtatuo, non poſſum ſane, quin ſingulariter tibi me obligatum agnoſcam, confitearque. Quo minus poſſum intermittere, quin tibi pro illa beneuolentia, in me collata, maximas gratias et habeam, et agam. Ad extremum, ut mihi bene precatus es: ita uiciſſim Deum adoro, ut ſumma te, ac perpetua felicitate auctum uelit.

CAPVT IIX,

De

EPISTOLIS GRATIARVM ACTORIIS.

Multum curae, diligentiaeque his literis impendi debet. Quo enim atrocius animi ingrati eſt uitium, hoc magis id ſtudendum, pugnandumque, ut quam minime ingrati uideamur. Accedit, quod gratia gratiam nouam conciliet: hoc maiorem, quo diligentius animum gratum fuerimus teſtificati. Eſt autem hoc genus epiſtolarum non modo ſpontaneum, ac liberum; ſed etiam reſponſorium, ſiue adſtrictum. Inſeruit enim reſponſionis loco epiſtolis dedicantibus, monitoriis, hortantibus, dehortantibusque, ſuadentibus, ac diſſuadentibus, conſolantibus, gratulantibus, ſalutantibus, uotiuis, propempticis, officioſis. Spontanea autem gratiarum actio ſcribi poteſt pro rebus iis omnibus, quae peti poſſunt: immo etiam pro pluribus, quam quiſpiam forte auſit rogare. Poſſunt itaque gratiae agi pro ſubſidio, pro commendatione, pro datione mutui, aut com-

commodati, pro pecuniae missione, pro procuratione rei cuiuscunque, pro conciliatione dignitatis, stationis, eiusdemque siue publicae, siue priuatae; pro compositione litis, denique pro beneficio, aut officio quocunque. Ceterum saepe proinde placet, qui bene egit gratias, ac si retulisset. Quo magis beneficium acceptum modis erit omnibus amplificandum. Amplificabitur autem in primis uel rationibus exaggerantibus, uel circumstantiis. Exaggeratio erit ex eo, quod aliquis beneficium ultro contulerit: quod inconstanter: quod cito: quod in tempore: quod saepe: quod primus: quod solus: quod cum paucis: quod uberius, quam ausi petere fuerimus: quod nihil promerito: quod ne expectanti quidem: quod non aegre, sed animo libentissimo. Amplificatio ex circumstantiis erit, ut si dicamus, nos praelatos esse affinitate alteri coniunctis: nostra causa contemptam offensam hominum potentium: et si qua sunt alia. Diximus de gratiarum actione directa: de obliqua nunc aliquid addemus. In hac non agendo gratias quam maxime gratias agimus. Quod fit, si ostendamus, aut maius esse beneficium, quam ut modo uulgari gratiae sint agendae: aut amicitiam maiorem esse, quam ut alterum alteri gratias agere oporteat. Epistola ipsa Gratiarum actoria, quae et uerbo Graeco Eucharistica dici solet, generatim est, qua cuipiam pro praestito beneficio, aut officio, animum gratum profitemur.

Enthymemata.

I. Beneficium acceptum est. Cum autem

 nihil

nihil maius tribui potuerit; Hinc ago gratias. II. Gratiae actae sunt. Qua ex re cum beneuolentiam erga me tuam cognouerim; Ideo beneuolentiam perpetuam spondeo. Aut. Gratiae actae sunt. Cum autem nullas meruerim; Hinc eas deprecor.

Dispositiones.

I.

Exordium poteſt depromi uel a ſcriptionis excuſatione: uel a laetitiae, ex beneficio perceptae, ſignificatione: uel a praeteritione, ſi dicatur, beneficium maius eſſe, quam ut pro illo dignae gratiae perſolui posſint: amicitiam tantam eſſe, ut ne quidem gratiarum actionem deſiderare uideatur.

Antecedens beneficium, aut officium, in nos collatum, commemorat.

Connexio petitur partim a perſona: partim a re ipſa. Perſona eſt cum dantis, tum accipientis. Dantis praedicanda eſt liberalitas, aut magnificentia: cui rei inſeruiunt et rationes exaggerantes, et circumſtantiae; inque his uel maxime circumſtantia modi, quod aliquis ſponte benefecerit; et temporis, quod tempeſtiue, immo ſpe, et opinione citius. Perſona accipientis extenuetur, dicaturque, beneficium eſſe collatum in indignum, neque quicquam huiusmodi promeritum. De re ipſa addi poteſt, quod beneficium, aut officium ſit magnum, neceſſarium, utile, iucundum, opportunum.

Conſequens gratias agit.

Epilo-

Epilogus gratiae relationem promittit: uel dicit, beneficium esse tantum, ut nulla pacto reddi possit: uel officia, aut obsequia offert: uel certe sempiternam beneficii memoriam promittit; aut precatur Deum, ut, cum nulla nobis spes sit gratiae referendae, is cumulatissime beneficium rependat: uel uotum pro benefactoris salute, incolumitate, perpetuitate nuncupat.

II.

Exordium a laude literarum.

Antecedens ab illarum argumento.

Connexio uel a persona; uel a re. Persona est uel dantis, uel accipientis. Dantis extenuanda est liberalitas: quod fit, si dicatur, illud, quod praestitum fuerit, debitum fuisse, non officium. De accipiente dicendum, quod aliquid collatum fuerit in maxime dignum, et multo plura meritum. Res ipsa autem extenuatur, ita quidem, ut dicatur, illud, quod praestitum sit, esse parum, esse leue, et longe minus alterius meritis.

Consequens gratiarum actionem deprecatur.

Epilogus officii, aut seruitii ulterioris, item amoris, et beneuolentiae constantis promissionem habet.

Exempla.

I.

Non possum reperire, quibus uerbis meam tibi pietatem declarem. Prohibet tamen, quo minus taceam, beneficii in me tui magnitudo. Tantum est illud, ut omnem ei orationem longe imparem esse sentiam. Ex quo intelligis, quan-

quantum bonitate tua me deuinctum putem. Pro qua si gratiam referre nequiuero, meum erit saltem perpetuo meminisse. Id si sperabis, quantus exinde ad beneficium tuum cumulus accedet, tantopere denuo obligabis

tuum.

II.

Sicut noram, te animo esse gratissimum: ita minime abs te gratiarum actionem desiderabam. Sed quo minus expectabam, eo maiorem a te accepi. Quae sicut a summo amore tuo profecta est: ita, fateor, fuit mihi pergrata. Quo nomine cum magis tibi me obstrictum teneas, semper in id nauabo operam, ut amori in me tuo respondere uidear. Tu uicissim id studebis, ut semper respondeas meo in te

tui.

CAPVT IX,

De

EPISTOLIS OBIVRGATORIIS.

Svnt, qui epistolas Reprehensorias, et Obiurgatorias distinguant, et illis plus lenitatis, his plus rigoris tribuant. At nos quidem eam subtilitatem uix curamus. Si quis tamen Obiurgationem aliam leniorem, aliam acriorem fecerit, non repugnabimus. Ceterum in posteriore acerbitas laude mitigabitur, et inter alia ostendetur, nos haec ex praecipuo quodam erga alterum amore scribere: alios idem non facturos. Materia epistolarum Obiurgantium conuenit

uenit cum materia expostulantium, exprobrantium, comminantium, inuectiuarum, et reliquarum generis Iudicialis literarum: nisi quod hoc loco scriptio suscipiatur non tantum animo ualde beneuolo; sed etiam ad eos, in quos nobis aliquid sit iuris; item emendandi proposito. Potest itaque materia obiurgandi esse uel diuturnior absentia; uel timor, et abiectio animi; uel otium; uel ebriositas, et quaeuis intemperantia; uel lusus; uel intermissio literarum; uel epistola siue rarior, siue breuior; uel fides non impleta: uel officium intermissum, aut negligentius praestitum; uel pecunia inutiliter dissipata; uel eliminatio arcani; uel supina negotii curatio; uel cessatio; uel incuria; uel asotia. Iam epistola Obiurgatoria est, qua aliquem propter admissum crimen siue grauiter increpamus, seu leuiter reprehendimus.

Enthymema.

Factum est, quod fieri non debuit. Quod sicut iustam obiurgandi causam suppeditat; Ita improbo.

Dispositio.

Exordium meritam alteri laudem ob uitam ante actam tribuit: uel discrimen adulatoris, et ueri amici ex loco communi repraesentat: uel affirmat, scriptorem, necessitate adactum, ad talem scriptionem accedere: uel alterius dolet uicem: uel, animum ex nuncio allato uehementer perturbatum esse, significat: uel denique ueniam talis scriptionis petit,

ſi forte rumor falſus fuerit ſparſus. Poteſt tamen etiam Exordium huiusmodi epiſtolae abrumpi.

Antecedens admiſſum crimen, aut naeuum affert.

Connexio deduci poteſt partim a perſona; partim a re ipſa. Perſona obiurgans, pariter ac obiurganda, deſcribi poteſt partim ab adiunctis, eisdemque ſiue naturae, quo ſpectat cognatio; ſiue fortunae, ut eſt amicitia; ſiue dignitatis. Res ipſa, hoc eſt, delictum oſtenditur eſſe I turpe, ſpeciatim indecorum, eo quod indignum ſit aetate, genere, patria, ſtatu, conditione eius, qui obiurgatur: II damnoſum, ubi enumerantur effecta, qualia ſunt: ignominia, offenſa Dei, hominumque, periculum poenarum.

Conſequens grauius, aut lenius crimen perſtringit, ac uituperat.

Epilogus monet, ut illud corrigatur, addita ratione, petita ab emendationis utilitate; item ſubiuncta ſpe boni euentus: comminatur, aut potius minas precibus permiſcet: denique animum beneuolum, ſi uitae emendatio ſubſequatur, promittit.

Exemplum.

Vt magna fuit tui expectatio, ſic optaui, ut eam ſuſtinere, et tueri uelles. At neſcio qui infauſti nuncii allati ſunt, te a priſtino inſtituto deflexiſſe. Quibus ut temere fidem habere nolim; ſi tamen non omnino falſi ſunt, ſummopere me terrerent. Eſt enim illud, quod nunciatum eſt, eiusmodi, quod laudes tuas deterat, et labem exiſtimationi tuae afferat, et ſpem illam, de te conceptam,

ceptam, ut ſic dixerim, exurat plane, ac euertat: porro conſcientiam affligat, et Deum grauiter offendat, iuxta et incitet ad poenas iuſtiſſimas, olim expetendas. Quibus de cauſis nunc te conuenio, et, per quicquid tibi carum eſt, quaeſo, ac rogo, etiam atque etiam ut uideas, quid tui ſit muneris, quid te ſtudere, quid te agere oporteat. Quid attinet bene coepiſſe, ſi exitus principio non reſpondeat? Pudeat uero uitiorum coeno laudes tuas contaminare! pudeat pro Iunone amplecti nubem! Contra nihil pudeat in uiam regredi uirtutis, rectique, et honeſti amorem perpetuo ſeruare. Quod fore ſicut ſpem haud abiicio: ita nequicquam te poenitebit obtemperaſſe monito meo.

PARS TERTIA, DE EPISTOLIS GENERIS IVDICIALIS.

IN genere Iudiciali uel ira efferueſcimus, uel metu occupamur; adeoque aut accuſamus, aut defendimus. Quam ad rem multum momenti afferunt formulae ex foro petitae, quaſique mutuo acceptae. Iam ad accuſandi inſtitutum faciunt: Expoſtulatio, Exprobratio, Comminatio, Inuectio; ad defendendum autem comparatae ſunt: Inficiatio,

Defensio proprie dicta, Excusatio, Deprecatio, Intercessio, Reconciliatio. In genere autem Iudiciali dominatur, quicquid est affectuum irascentium. Ceterum in eodem hoc genere in primis confutatio locum habet, omniumque maxime in epistolis expostulantibus, inficiantibus, defendentibus.

CAPVT I,

De
EPISTOLIS EXPOSTVLATORIIS.

SVnt, qui Accusatorias, Expostulatorias, et Exprobratorias epistolas pro iisdem habent: sunt item, qui ex Accusatoriis separatum faciunt caput, alioque nomine Criminatorias appellant. Sed Accusatoriae fere ad iudicis tribunal pertinent, suntque adeo magis publicae. Sed habet tamen Avgvstvs Bvchnervs *epistolam, mixtam ex responsione Suasoria ad Accusatoriam, et ex Nunciatoria. Expostulatoriae autem, et Exprobratoriae, rationibus propriis, et Enthymematis diuersis diffident, et distincta adeo loca requirunt. Sigillatim Expostulatoriae hic non sunt aliae, quam quae Indignatoriae quibusdam uocantur. Vt errare nobis quidem uideantur, qui Querulas, et Indignatorias pro iisdem habent. Ceterum cum epistola Expostulatoria siue ad amicos, siue ad homines notos scribatur, mitiganda est, ne odium concitet, aut amicitiam labefactet. Quare aspergenda laus, dissimulatio, excusatio. Tum res ipsa damnatur, uoluntas excusatur. Denique non tam factum, quam incogitantia, somnolentia, obliuio, occasio,*

cusatio, occupatio accusatur. Quin etiam cum in rem, tum uero etiam in personam aliam culpa congeri, ac remoueri potest. Quapropter in Consequente principali, loco expostulationis, uel ipsa nonnunquam excusatio locum tueri potest. Quod si tamen grauior iniuria, aut plures iniuriae factae sint, id cessat. Quo loco dicemus: Tametsi inuiti ad tales literas scribendas accedamus, tamen necessitatem eas nobis extorsisse: neque enim leui nos iniuria affectos. Aut. Nos multo quidem plura hactenus tulisse, quae silentio presserimus: at uero nunc eo malum processisse, ut dissimulari amplius uix possit. Verendum enim, ne uel plura, uel maiora etiam in posterum sequantur: quo iustiorem nobis causam suppeditatam esse uisam cum altero expostulandi. Materia, ut capite extremo generis Demonstratiui monitum fuit, hic, perinde ut materia epistolarum sequentium, per omnia cum materia Obiurgantium conuenit, et una, eademque existit. Est iam epistola Expostulatoria, qua de illata iniuria cum quopiam expostulamus.

Enthymemata.

I. Dedisti malum. Cum autem nulla illud culpa meruerim; Tecum expostulo.
II. Crimen obiectum est. Quoniam autem culpa uaco; Suspicionem deprecor.

Dispositiones.

I.

Exordium sumi potest a dolore, indignatione, tristitia; et siue exclamatione, siue interrogatione, siue

siue dubitatione exornari. Immo enim abrumpi potest.

Antecedens rem, seu factum, de quo expostulemus, exponit.

Connexio illud confirmat, et quidem potissimum ex locis status coniecturalis. Est autem Connexio partim artificialis, partim inartificialis. Artificialis ratione personarum ducitur ab adiunctis, quo referuntur: ingenium, mores, natio, uitae genus, et id genus alia: praeterea a caussis impellentibus, quorsum spectant: uoluntas, affectus, ut ira, odium; et facultas. Ratione facti a signis, quorum alia sunt antecedentia, alia concomitantia, alia consequentia. Connexio inartificialis perficitur per testes, et rumores.

Consequens de iniuria expostulat.

Epilogus pudorem incutit: ad uitii omissionem exhortatur: promittit pristinam beneuolentiam: offert officia: petit, ut dicta in bonam partem accipiantur: nonnunquam etiam minatur.

II.

Exordium depromi potest ab amoris immodici tessera, siue signo, quod sit de amico facile suspicari; uel a significatione, nos literis non modo nihil offensos; uerum etiam delectatos fuisse.

Antecedens probrum repetit.

Connexio producit argumenta, quibus iniuria siue negetur, siue eleuetur.

Consequens eandem aut inficiatur, aut extenuat.

Epilogus siue ueniam petit, siue offensam immeritam deprecatur: praeterea promittit amorem, et officia, beneuolentiaeque pristinae scribentem commendat. *Exem-*

Exempla.

Miror, quae cauſa ſit, quamobrem tanto me odio proſequare. Quid feci, quod adeo graui iniuria afficeres? Nunqua te unquam laceſsiui? nunquas ad iras, inimicitias uocaui? Eo potius amore, quo debui, amplexus ſum. Quae itaque cauſa te commouere potuit, ut tanta iniuria laederes innocentem? Sicut nulla fuit, ita cauſam tecum expoſtulandi iuſtisſimam habere uideor. Videris, qui ſis, niſi contumeliam beneuolentia emendes; uideris, ne forte te poeniteat.

II.

Quo minus tales literas expectaram, hoc magis ſum miratus. Neſcio enim de quo crimine mihi obiicis. Quod tanto quidem magis mirari ſubit, quanto minus recordari poſſum, feciſſe me, cuius poſſit ſuppudere. Nihil me peccasſe, nihilque commiſiſſe, ſcientem certe, uolentemque, Deum, qui nouit omnia, pariter & hanc conſcientiam teſtari poſſum. Quare peto a te, ſummeque contendo, ut, niſi uelis iniquior in me iudex uideri, aequiorem te mihi praebere uelis. Vt neminem laeſi unquam ſciens, ac prudens, ita neque te.

CAPVT

CAPVT II,
De
EPISTOLIS EXPROBRATORIIS.

Vt cum amicis, aut notis certe hominibus expostulamus: ita ingratis, atque adeo inimicis aliquid exprobramus. Proinde ut expostulatio est mitior, ita exprobratio seuerior. Est adeo epistola Exprobratoria, qua homini ingrato officium, aut beneficium exprobramus.

Enthymemata.

I. Mala gratia relata est. Cum autem iniustum sit pro bono malum dare; Hinc moleste fero. II. Crimen animi ingrati obiectum est. Cum autem nihil huius commissum sit; Idcirco probrum deprecor.

Dispositiones.

I.

Exordium potest peti ab ira, et indignatione: aut a dolore, ex delicto alterius percepto. Potest etiam tale ἦθος auspicium dare, si dicatur: Quamuis parum liberale esse uideatur beneficium obiectare, multumque extollere: tamen nos illud facere inuitos, et ab altero ad rem eam compulsos.

Antecedens iniuriam, ab homine ingrato illatam, exponit, id est, delictum eiusdem commemorat.

Con-

Connexio commonſtrat, illud eſſe primo turpe, ſecundo perniciosſum, cum Dei, hominumque offenſam, ignominiam, poenam, ceteraque mala attrahat. Ad turpitudinem refertur I illegitimum, quod eſt contra leges diuinas, et humanas, et contra praecepta piorum, prudentumque uirorum: II iniquum, quod eſt contra ius naturae, gentium, rectam rationem, bonosque mores: III Indecorum, quod eſt contra officium hominis probi, cuius eſt eum, a quo beneficiis affectus fuerit, amare, colere, praedicare.

Conſequens crimen admiſſum exprobrat.

Epilogus complecti poteſt praeciſionem, ſiue abruptionem orationis, comminationem, exhortationem ad agnitionem culpae, uitaeque emendationem; uotum mentis melioris.

II.

Exordium indicat, literas redditas eſſe.

Antecedens probrum earum repetit.

Connexio affert cauſas, quamobrem ſcribens factum uel neget, uel excuſet, uel defendat, uel deprecetur.

Conſequens crimen ipſum uel it inficias, uel eleuat, uel defendit, uel deprecatur.

Epilogus offenſam, poenamue deprecatur: item beneuolentiae perpetuae deſiderium adiungit.

Exempla.

I.

Etſi ſtatueram nullas amplius ad te literas mittere: tamen, quo minus putares, aequo animo }

ferri

ferri posse, quod abs te profectum esset, ad te scribendum existimaui. Malam enim a te gratiam mihi relatam esse, negare non debes. Meus in te animus quam singulari officio fuerit, te ipsum, tuamque conscientiam appello: tuam, inquam, illam conscientiam, quam adeo graui scelere pollutam intra te gestare cogeris: eandem illam impietatis tuae et testem, et carnificem. Quae enim a me proficisci potuerunt, praestita tibi puto esse. Pro iis rebus quantum mihi debeas, alii existiment: tute ipse existimes. Sed quam parum mihi gratiae relatum sit, nunc demum comperi. Quod quam ingratum mihi, molestumque sit, dici non potest. Forte res tuae studium, laboremque meum porro requirent. Quae ego si profundere, ac perdere uidebor, non committam, ut tibi ipse insanire uidear. Etiam atque etiam uide, quid feceris, et, ne Deum offendas porro, cui reddenda erit ratio, prouide.

II.

Quanto maius mihi crimen literae tuae obiecerunt, tanto me uehementius perturbarunt. De mala gratia, tibi relata, mihi obiicis. Egone eam tibi retulerim pro iis, quae in me contulisti? Adeone me immemorem iuris diuini, humanique censes, ut malum pro bono reddiderim? Adeo porro inhumanum, aut ferum, ut beneficii obliuiscar? Adeone tandem nihil curare neque Dei, nec hominum offensas? Adeo quidem nihil a me profectum est, quod non debuerit, ut

ut Deum pariter, conſcientiamque inuocare poſſim innocentiae meae teſtem. Quare, cum nihil fecerim offenſa dignum, probrum obiectum deprecor. Vt nunquam, ita neque hoc tempore animum ingratum neque habui, neque declaraui.

CAPVT III,
DE
EPISTOLIS COMMINATORIIS.

Comminatoria epiſtola nihil neque ab Expoſtulatoria, neque ab Exprobratoria, niſi minis, quae in locum expoſtulationis, aut exprobrationis ueniunt, differt. Ceterum Antecedens eſt idem, atque id, quod eſt in illis, quas modo commemini, literis. Eſt tamen reſponſio ad Comminationem non uniusmodi, ſed nunc mollior, mox aſperior. Illa ad deprecationem accedit: baec ad expoſtulationem. Eſt autem epiſtola Comminatoria, qua cuipiam propter graue delictum, aut flagitium, uindictam comminamur.

Enthymemata.

I. Delictum admiſſum eſt. Quo cum nihil ſit turpius; Hinc te poenitebit. II. Minatus es. Cum autem nihil factum ſit minis dignum; Idcirco eas deprecor. III. Minatus es. Cum autem minas nullas meruerim; Ideo parum curo.

Dispositiones.

I.

Exordium uel abesse potest: uel duci a querela, aut a dubitatione, dignusne alter sit, ut ei scribamus.

Antecedens delictum, aut scelus, ab altero patratum, in medium proponit.

Connexio probat, illud esse I turpe ; II indecorum ; III iniquum ; IV illegitimum ; V damnosum.

Consequens poenam commeritam minatur.

Epilogus ad emendandos mores cohortatur, spemque ueniae facit, ea tamen conditione, ut uitae emendatio subsequatur.

II.

Exordium ducitur a dolore, ex literis redditis capto.

Antecedens minarum mentionem facit.

Connexio negat, scribentem meruisse offensam, aut quicquam commisisse minis, nedum poena dignum. Atque huius re rei causa petitur uel a meritis alterius erga nos, aut officiis: uel a nostro in illum animo, obseruantia, studio. Deus insuper innocentiae testis appellari potest.

Consequens minas, simulque poenam modeste deprecatur.

Epilogus promittit obseruantiam, porro declarandam.

III.

Exordium ab indignatione, quam redditae nobis literae attulerint: uel ab admiratione, ex illis concepta.

Antecedens literarum argumentum reddit.

Connexio ab iniquo, ubi dicatur, ſcribentem bene eſſe meritum de altero, aut de reipubl. ab inutili, ubi dicatur, minas ſcribenti parum nocituras eſſe: ab iniuſto, ubi dicatur, ſcribentem nihil uel poenae, uel offenſae commeruiſſe.

Conſeqnens uel nomine ſcribentis uicisſim minatur: uel aſſerit, Deum, ut iuſtum iudicem, uindicaturum, ſi quid alter in ſcribentem machinetur.

Epilogus a nocendi propoſito alterum deterret, monetque, ut conſilium mutet, rectiusque de perſona ſcribentis ſentiat.

Exempla.

I.

Quo minus dubitari poſſet, grauiter ferri poſſe, quod actum eſſet, ſcribendum mihi uidebatur. Certum enim eſt, indignum facinus commiſſum eſſe. Tanto id magis miratus ſum, quanto grauius uiſum. Adeone nihil conſcientiam uereri? adeone nihil uel cogitare, uel metuere uindicem illum oculum? adeone tandem nullas expectare iuſti Numinis iras, nec poenas? Nunquid enim indignius patrari potuit? Quod quanto eſt grauius, tanto magis forſitan te eius poenitebit. Te eo delapſurum, uix ſperabam.

II.

Vt peracerbae literae tuae mihi ſunt uiſae: ita uehementer me confuderunt. Neſcio enim, quid minitari uidebantur. Moriar uero, ſi quid feci, cuius ſuppudere poſſit. Sane nihil

factum, quod, non dicam uindicta, sed offensa uel leuissima dignum uideatur. Et, hoc uerum esse, per Deum tibi adiurare possum. Quo tanto cum fretus sim innocentiae meae teste, dabis mihi ueniam, si minas tuas deprecabor. Quas ut nunquam sciens, prudensque merui: ita, ut nec in posterum tempus mereri uidear, prouidebo.

III.

Literas tuas legi, et eas, si quicquam, illibenter. Erant enim minaces, et indignae, quae mihi abs te mitterentur. Nescio, quo de crimine mihi obiicis. Attamen nulla, ne leuissima quidem iniuria te lacessiui: ad nullas inimicitias uocaui. Quare, quantumcunque indigneris, dicam tamen, quod sentio, nullam apud me minitantis auctoritatem esse. Quantoque magis innocentiae solatio sustentor, tanto minus minas curo tuas. Quae si in neruum erumpant, Deum quaeso, ut quam minime mihi noceant.

CAPVT IV,
De
EPISTOLIS INVECTIVIS.

Inuectiua a nonnullis etiam Criminatoria appellatur, atque pro eadem cum Accusatoria habetur. Verum enimuero Accusatoria fere est publica, et ad forum pertinet: contra Inuectiua ad amicum perscribitur. Porro ibi accusamus: hic conquerimur. Denique ibi auxilium imploramus: hic condolentiam,

tiam; solatiumue expectamus. Ceterum Inuectiua ab Expostulante, Exprobrante, et Comminante, diffidet numero personarum. Etenim, cum in illis duae sufficiant, hic tres sunt opus: una inuehentis; altera eius, apud quem inuectio instituitur; tertia illius, in quem inuehimur. Eandem ob causam differt ab Obiurgatoria: quanquam praeterea ab hac etiam et genere causarum, et modo tractandi, qui forensis est, disterminetur. Item causa impellente, utpote quae in Obiurgatione est animus beneuolus; contra in Inuectione inimicus. Item fine, et scopo, qui ibi est obiurgati bonum; hic malum eius, in quem fit inuectio. Haec autem siue est in uitam omnem, inde a puero usque ad prouectam aetatem; siue in aliquod tantummodo uitii caput. Vniuerse Inuectiua est, quae in eum, a quo quispiam iniuria affectus sit, apud amicum inuehitur.

Enthymemata.

I. Iniuria facta est. Cum autem aduersarium nulla iniuria laeserim; Iustam conquerendi causam habere uideor. II. Iniuria affectus es. Cum autem uacare culpa magnum sit solatium; Peto, ut iniuriam aequo animo feras.

Dispositiones.

Exordium potest abrumpi: uel peti ab occasione Inuectionis, praeter scribentis morem institutae, adeo, ut dicatur, scribentem nihil confictum, sed uera scripturum esse.

Antecedens ſiſtit cauſam ad inuehendum impellentem, nempe crimen, ab aliquo commiſſum.

Connexio illud demonſtrat argumentis, iisdemque tum a perſona, tum a re ipſa deductis. Perſona, in quam quis inuehitur, ab adiunctis, eisdemque ſiue fortunae, ſiue animi deſcribitur. Res autem, id eſt, uitium ipſum probatur eſſe I turpe, ſpeciatim indecorum, oſtendendo, quod quis fecerit rem indignam ſua aetate, genere, conditione; item quod magnam ſibi nominis ignominiam exinde intulerit: II pernicioſum, exponendo, quanta mala delicti auctor dederit ſcribenti, et in quae eum pericula coniecerit.

Conſequens de iniuria, ſcribenti illata, grauiter conqueritur.

Epilogus alterum ad iram, et odium, aduerſus inimicum concitat, pariter ac ſolatium expectat.

II.

Exordium a ſignificatione acceptarum literarum.

Antecedens a repetitione criminis, ab altero commemorati.

Connexio argumenta, ab eodem adducta, repetit, et confirmat.

Conſequens in eiusdem illius iudicio acquieſcit, pariterque in aduerſarium inuehitur, et iuſtam indignationem, odiumque erga eum praefert.

Epilogus amicum ad magnitudinem animi, et generoſum iniuriarum contemptum animat, atque inflammat.

Exem-

Exempla.

I.

Licet ſim aduerſus nemini, nemini infeſtus, nequeo tamen ab iniuriis liber eſſe. Grauiſſimo, ſi quis unquam, ludibrio me laeſit Maeuius. Proh! quantum mihi malum dedit? Ferrem lenius, ac moderatius, ſi qua iniuria hominem affeciſſem, ſi re uel leuiſſima uocaſſem ad nocendum. Quod quo minus non dicam feci, ſed facere animum induxi, hoc grauius laeſum me puto, hoc iniquius tractatum. Quo iuſtiorem apud te conquerendi cauſam habere uideor. Quemadmodum autem non dubito, fore, ut mihi condoleas, ſic magno id leuamento erit dolori meo.

II.

Legi tuas literas, triſtes illas, et querulas: nec adeo ſine dolore legi. Quereris de iniuria aduerſarii tui. Hoc autem iuſtius, quo et grauior illa eſt, et tu innocentior. O immodeſtiam, o crudelitatem, inſectari innocentes, onerare iuſtos contumeliis, mala ingerere uiris bonis! Mihi quidem ſic perſuaſum eſt, nullam religionem eſſe in aduerſarii tui animo, nullam pietatem, nullum Numinis metum. Nam ſi eſſet, nunquid feciſſet, cuius olim poenas daturus eſſet? Ac dabit iſte, ſiue credat, ſeu neget praeſentem ubiuis, ac intuentem omnia uindicem illum oculum. Hic ut dabit unicuique olim, quod meruerit: ſic aduerſario tuo, niſi ſi redeat in uiam. Tu interim, quantum potes, forti, praeſenti-

sentique animo iniuriam feres. Quantum praestat ferre, quam inferre? quantum est solatium crimine uacare? Quo quia uacas, propterea hoc te solatio erige, et magno quasuis animo contumelias contemne.

CAPVT V,

De

EPISTOLIS INFICIALIBVS.

CVm genus Iudiciale duplici fungatur officio, et siue accuset, seu defendat: postquam de accusatione uidimus, epistolas, quae defensionem continent, nunc persequimur. Nec enim scire sufficit, quemadmodum accusatio instituenda sit: rationem quoque nosse conuenit, quomodo seu nostram, seu aliorum oremus causam. Multi quippe uel falsa afferunt, uel actiones aliorum secus, quam par est, interpretantur. Quocirca uidendum nunc iam, quo pacto obuiam eundum sit iis, qui siue nobiscum expostulent, siue quomodocunque nos culpent. His itaque generatim occursandum defensione; speciatim uel negatione, uel defensione proprie tali, uel excusatione, uel deprecatione, uel intercessione, uel reconciliatione. Haec etenim omnia defensionis sunt. Nam aut delictum diffitemur, aut fatemur. Si diffitemur, sola nos inficiatione defendimus, rectique conscientia: sin autem fatemur, tunc aut negamus, delictum obiectum esse crimen, et, tanquam bene, iusteque factum, defendimus: aut, crimen esse, agnoscimus. Quodsi hoc fit, tunc uicissim aut illud aliqua, aut nulla ex

par-

parte defendimus. Si aliqua ex parte, erit Excusatio: sin uero nulla, tunc erit Defensio, eademque uel pro nobis, uel pro aliis. Si pro nobis, orietur Deprecatio: sin pro aliis, tunc siue Intercessio, siue Reconciliatio. Vnum etiamnum de literis hisce in uniuersum sciendum est, esse plerumque responsiones ad Accusatorias praecedentes: immo etiam ad Obiurgatorias generis Demonstratiui. Si quis enim uituperatur, idem quodam modo accusatur. Sed cum tamen etiam ultro, et propter solos rumores sparsos, aut etiam propter delicti alicuius conscientiam, scribi saepe soleant: placitum fuit, more rhetorum, de iisdem ex instituto tractare. Atque Inficiatio quidem est prima defensionis species, ubi factum, quodcunque, et qualecunque sit, quouis a nobis modo prorsus amolimur, et, a nobis commissum esse, penitus, atque omnino inficias imus. Pertinet autem Inficiatio ad coniecturalem statum. Primo quidem dicetur, alio nos fuisse semper animo, quam nescio quo uano rumore fuerit de nobis nunciatum: eoque magis nos mirari, quod alter famae huius uanitati tam facile habuerit fidem. Aut ostendetur, quo magis semper detestati fuerimus crimen, nobis obiectum, hoc nos dolere magis, illud obiectum esse. Aut laudabitur alterius iustitia, qua freti defensionem causae nostrae suscipiamus. Deinde criminatio ipsa diluetur, resque uana, incredibilis, impossibilis, subiectis rationibus, cuiusmodi inter alia peti possunt a uita ante acta, et a negatione cum uoluntatis, tum facultatis, docebitur: confutatis simul iis, quae alterum in sinistram suspicionem induxerint. Tum orabitur, ut eam ipsam a nobis amouere

 uelit.

uelit. Denique omnia ueri amici officia pollicebimur: aut, si cum superiore in hanc causam descendatur, cultum, obseruantiamque promittemus. Iam epistola Inficialis est, qua obiectum nobis crimen negatur.

Enthymema.

Doleo, me delatum esse. Cum autem omnia sint a uero aliena; Hinc eo inficias.

Dispositio.

Exordium potest abrumpi: uel peti a doloris, ex accusatione percepti, significatione: uel ab expostulationis reprehensione: uel ab obiecti criminis execratione, aut detestatione: uel a modesta alterius obiurgatione, quod huiusmodi aliquid de nobis fuerit suspicatus.

Antecedens criminis obiectionem commemorat.

Connexio est partim artificialis; partim inartificialis. In inartificiali asseritur, et optimorum uirorum testimoniis euinci posse, illud, quod nobis obiectum sit, nunquam fuisse a nobis dictum, aut factum: rumores esse uanos, nec temere illis fidem habendam. Connexio artificialis respicit partim personas; partim factum. Ratione personae defendendae aetiologia depromi potest I ab adiunctis, qualia sunt: ingenium, mores, ex quibus ostenditur, sic uitam adhuc instituisse accusatum, ut nulla improbitatis, inuidiae, odii, nequitiae; sed probitatis, beneuolentiae, uitae honestae plura uestigia deprehensa fuerint: II a causis impellentibus, quo pertinet 1 uoluntas, quae negatur, dicendo, ne quidem

dem illud, cuius quispiam insimuletur, ipsi uenisse in mentem, ut diceret, aut faceret; nullas fuisse uoluntatis huius causas; non potuisse eum odisse alterum, eo quod nemo hunc prosequatur odio: quia is optime de se meruerit, quia nemo scribentem incitaverit, ut hoc, uel illud maleficium committeret; quia exiguam, aut nullam potius utilitatem, immo plus detrimenti, quam emolumenti exinde fuisset sensurus; quia nullum incommodum re illa uitaturus; quia denique nullo repentino animi motu fuerit impulsus: 2 facultas, quae itidem remouetur, idque secundum circumstantias, demonstrando, accusatum nec tempus, nec locum opportunum, nec occasionem, uiresque rei gerendae habuisse. Iam ratione facti aetiologia deriuatur a signis, quae, tanquam aliquid incerti, quocunque modo, ac ratione eleuantur, atque infirmantur.

Consequens crimen negat, & inficiatur.

Epilogus complectitur excusationem acerbioris responsionis: petitionem, ut defensio aequo animo feratur, omnisque suspicio deponatur: testificationem amoris, ac beneuolentiae, et significationem, nihil de obseruantia, aut amore scriptoris, detractum esse, licet is immerito accusatus fuerit: petitionem, ut alter periculum beneuolentiae, fideique nostrae, quacunque uelit in re, faciat: denique promissionem officiorum, aut obsequiorum.

Exemplum.

Sane quam doleo, nescio de quo crimine mihi obiici? Hoc autem doleo uehementius, quo minus

minus commiſi, de quo iure accuſari poſſim. Sum enim mihi conſcius, nihil a me factum eſſe, quod cuiusquam animum offendat. Id niſi eſt, tum Deus Optimus Maximus peſſimo letho me afficiat. Hunc atteſtor, nihil factum eſſe, de quo erubeſcam, cuiusue pudeat. Tantum abeſt, ut factum ſit, cuius equidem accuſor, ut ne quidem fuerit propoſitum faciendi. Quod ſic eſſe ſicut Deum, pariter et conſcientiam conteſtari poſſum: ita maiorem in modum te rogo, ut omni criminis ſuſpicione me abſoluas. Quam ut nequicquam merui: ita, ut nec merear in poſterum, laborabo.

CAPVT VI,

DE

EPISTOLIS DEFENSORIIS.

VT in Inficialibus factum aliquod negatur: ita hic loci et affirmatur, et ita quidem affirmatur, ut modis omnibus defendatur. Pertinet autem defenſio uel ad ſtatum legitimum, uel ad ſtatum qualitatis, uel ad ſtatum quantitatis. In ſtatu legitimo, recte aliquid factum dicemus, eoque nos mirari, id uitio, nobis uerti, quod nobis laudi potius ducamus. Deinde, quid factum ſit, breuiter explicabitur. Tum rationes afferentur, unde, aliquid ſic fieri a nobis debuiſſe, alter intelligat. Petuntur autem rationes partim ex facti proprietatibus; partim ex locis inartificialibus. In ſtatu qualitatis, ſi cauſa, per ſe infirma, colore, et cauſa extranea indigeat, dicetur, nos alterius iniuriis fuiſſe laceſ-

cessitos: aut culpa in alia omnia conferetur. In statu denique quantitatis aut factum eleuatur, aut mala intentio, et animus offendendi negatur. Atque ex his monitis fluit haec definitio: Epistola Defensoria est, qua aliquid, quod nobis obiectum fuit, tanquam recte factum, defendimus.

Enthymemata.

I. Crimen obiectum est. Cum autem nihil reprehensione dignum fecerim; Ideo me defendo. II. Defensio suscepta est. Cum autem melius sit bene sperare, quam suspicari; Opinionem superiorem depono.

Dispositiones.

I.

Exordium uel potest omitti: uel peti a significatione doloris: uel ab expostulationis, aut exprobrationis reprehensione: uel a criminis obiecti execratione, ac detestatione.

Antecedens crimen ipsum, hoc est, siue factum, siue dictum, nobis obiectum, recenset.

Connexio sumitur uel ex statu legitimo, uel ex statu qualitatis, uel ex statu quantitatis. Connexio, petita ex statu legitimo, est partim inartificialis; partim artificialis. Inartificialis ducitur a testimoniis, et auctoritatibus, tum sacris, tum profanis: ICtorum, Philosophorum, Oratorum, Poetarum, aliorumue doctorum, aut prudentium uirorum: item a legibus diuinis, iuxta et humanis, consuetudine, iudicatis, pactis,

ctis, exemplis aliorum. Connexio artificialis arcessitur cum a caufis, ubi oftenditur, honeftum, legitimum, et aequum effe illud, quod in nobis reprehendatur: tum ab effectis, ubi indicatur, idem effe utile, qua utilitates publicas, qua priuatas. Connexio, fumpta ex ftatu qualitatis, culpam remouet in alium, aut in aliud, ut in iram, metum, aliumue affectum: ueluti fi infidiatorem occideris; aut Panico militum terrore exercitum amiferis; aut, fi ex malis duobus minus elegeris. Denique Connexio, ducta ex ftatu quantitatis, illud, quod merito culpari poffe uideatur, extenuat, immutando facti modum, locum, tempus; aut, fi hoc fieri nequeat, finem, et propofitum. Vt fi dicatur: noluiffe nos alterum offendere: hac nos indole effe, et femper fuiffe: idem expofcere amicitiam, cui quam maxime ftuduerimus: praeterea neque caufam fuiffe, cur alteri male uellemus.

Confequens defenfionem ipfam continet.

Epilogus petitur a petitione, ut defenfio aequo animo accipiatur; aut a fignificatione: Tametfi immerito culpati fimus; tamen nihil propterea de amore noftro detractum iri, fed fore, ut in tempus etiam futurum omnia uelimus amici caufa, additis precibus, ut beneuolentiae, ac fidei noftrae quacunque in re periculum faciat.

II.

Exordium a fignificatione acceptarum literarum.

Antecedens defenfionis, ab altero inftitutae, meminit.

Connexio a tutiori, fi dicatur: malle nos in percepta defen-

defenſione acquieſcere, quam nimia ſuſpicione amicum laedere.

Conſequens, nos ſuſpicionem depoſituros, pollicetur.

Epilogus addit promisſionem beneuolentiae priſtinae, itidemque promptitudinis inſeruiendi.

Exempla.

I.

Tales me literas accepiſſe, doleo. Neſcio, cuius ſceleris nomine me ſuſpectum reddunt maleuoli. Falſo. Nullius me male facti conſcium ipſa conſcientia defendat: ipſe, ſi nondum ſatis teſtium, qui uidetque, et nouit omnia. Feci aliquid, fateor: ſed feci, quod iuſte potui. Niſi potuiſſem, neſcio quid, ut ne iſtud facerem, feciſſem. Cum igitur culpa omni uacare uidear, neque fecerim quicquam, offenſa dignum, ſane praeterire non potui, quin me apud te defendam. Ceterum cum haec ita, quemadmodum ſcripſi, ſeſe habeant, quaeſo, ut mitius poſthac de me ſentire uelis.

II.

Literas tuas accepi, in quibus culpa te uacare ſcribis. Non negas factum: attamen ſimul defendis. Nolo ea, quae ſcripſiſti, perſequi. Hoc attigiſſe ſatis habeo, malle me aequiorem, quam ſeueriorem iudicem uideri. Atque adeo omnem, quam habui de te ſuſpicionem, deponam. Quo autem aequior eſſe uideor, hoc pluris beneuolentiam deinde noſtram, ſpero, facies.

CAPVT

CAPVT VII, DE EPISTOLIS EXCVSATORIIS.

VBi nec Inficiationi, nec Defensioni locus est, ibi locum saepe habet Purgatio. Atque huius scriptio plerumque sponte suscipitur: quam etiam ob causam uelut iure quodam suo responsionem efflagitat. Illud curiosum, quod C. Tacitus *affirmat*, quod etiam excusando exprobremus, *I* Annal. *X. Id usu uenit, siquando, exempli causa, cuipiam fidem non seruatam in memoriam reuocemus, pariter ac adductis rationibus eundem excusemus, qualis epistolae exemplum est apud* Augustum Buchnerum epistola CXIX, Parte I. *Est iam Epistola Excusatoria, qua aliquis se alteri de re quapiam excusat.* Cassiodorus *in* Rhetoricis: Purgatio, *inquit*, est, per quam eius, qui accusat, ut non factum ipsum, sed uoluntas defenditur. *Habetque Purgatio, eodem auctore, partes tres: Imprudentiam, Casum, Necessitatem. Imprudentia est, cum, scisse se aliquid, is, qui arguitur, negat. Casus, cum demonstratur, aliquam fortunae uim uoluntati obstitisse. Necessitudo, cum, ui quadam impulsum te id, quod feceris, fecisse, nec aliter facere potuisse, dixeris.*

Enthymemata.

I. Feci, quod non debui. Cum autem culpa uacare uidear: Idcirco tibi me excuso.

II. Te

II. Te mihi excuſaſti. Cum autem culpa uacare uidearis; Excuſationem tuam accipio.

Diſpoſitiones.

I.

Exordium poteſt omitti: uel peti a priſtina alterius beneuolentia: uel a ſcribentis moerore, ac triſtitia.

Antecedens delictum aliquod fatetur.

Connexio petitur e locis ſtatus aſſumptionis, nominatim I a purgatione, qua negatur, aliquid deliberato animo, aut odio, aut nocendi ſtudio factum eſſe; adeoque uel in caſum, uel in fortunam aduerſam, uel in neceſsitatem, uel in imprudentiam, uel in impedimenta, atque obſtacula, a perſonis, locis, temporibus, inſtrumentis, ignorantia, occupationibus, morbis, aliisue rebus deſumpta, reiicitur: II a relatione, qua culpa in expoſtulantem, aut exprobrantem, aut comminantem confertur: III a criminis translatione, qua culpa in perſonam aliam, quam in commemoratas, aut in rem aliquam transfertur: IV a comparatione, qua e duobus alterum faciendum, atque id, quod factum ſit, ſatius fuiſſe, aut tutius, oſtenditur.

Conſequens delictum excuſat, eiusdemque ueniam precatur.

Epilogus petit reſtitutionem in fauorem priſtinum, pariter ac ea pollicetur, quae offenſus a ſcribente poſtulare poſſe uideatur.

II.

Exordium significat, literas fuisse redditas.

Antecedens excusationis, ab altero institutae, mentionem facit.

Connexio excusationis capita, et pondera breuiter repetit, perinde ut rationem nouam subiungit, eandemque ab aequo petitam, dicendo: aequum uideri ignoscere, si illa, quae alter facto obtenderit, ita sese habeant.

Consequens excusationem accipit. Quae acceptio nonnunquam conditionata est, ita quidem, ut dicatur: ea lege excusationem nunc admitti, ut ne alter ea saepius utatur. Est etiam, ubi ex una parte tantummodo probetur; ex altera autem non item.

Epilogus beneuolentiam alteri propriam, perpetuamque, ut et studia, atque officia pergrata pollicetur.

Exempla.

I.

Pluribus uerbis tibi me excusarem, si longa apud te excusatione opus esset. Nunc, cum ea sis humanitate, ut uel non rogatus ignoscere soleas, hoc ero brevior, quo maioris criminis nomine suspectus esse uideor. Quod admissum esse etsi impudens sim, si negem, nec uenia dignus ulla, illud tamen fatendum mihi est, imprudentem me, nec studio peccasse. Fuit, quod ad peccandum alliceret: animus tamen abfuit. Imbecillitatem nosti humanam: nosti, neminem sine labe uiuere. Sed quid pluribus

ribus apud te uerbis utor, quibus nihil opus esse dixeram? Tibi enim credo iam satis me excusatum esse. Quare finio potius, fidemque do, diligentius postea me cauturum, ne quid rursus committam, de quo erubescam, cuiusue me poenitere possit.

II.

Literas tuas accepi, tuamque excusationem legi. Est, quod praetexis facto, propterea que te excusatum haberi cupis. In alia omnia culpam regeris: animum abfuisse, scribis. Id si est, essem in te iniquior, si non te mihi excusatum habere uelim. Quare accipio excusationem tuam: sed ita tamen, ut ne ea in posterum saepius utare. Minus enim excusate facies, si quid deinceps peccabis. Id adeo ne facias, rogo

tuus.

CAPUT IIX,
DE
EPISTOLIS DEPRECATORIIS.

IN Deprecatoria Epistola culpam ingenue fatemur. Est autem Deprecatoria uel pro nobis, uel pro aliis. Ibi culpam nostram, hic alienam supplices confitemur, eiusdemque pariter ueniam expetimus. Deprecatoria, qua aliis ignosci uolumus, distincto nomine Intercessoria appellitatur: illa uero, qua causam oramus nostram, nomen seruat generale. Est adeo haec ipsa, in qua commissum aliquid fatemur, nobisque ignosci petimus. Atque tria omnino hic digna

ſunt memoratu : culpae confeſſio, delicti extenuatio, ſupplex ueniae petitio. Primo enim culpam ingenue fatebimur. Tum eandem eleuabimus : idque uel propter aetatem ; uel propter imprudentiam ; uel ideo, quod nunc primum deliquerimus ; uel propter delicti genus , eius partem in alios transferendo. Deinde ueniam commiſſi rogabimus. Repetimus definitionem : Deprecatoria eſt, qua crimen aliquod deprecamur.

Enthymema.

Culpa admiſſa eſt. Cum autem errare humanum ſit ; Hinc precor ueniam.

Diſpoſitio.

Exordium ſumitur uel a loco communi de imbecillitate humana : uel ab alterius laude propter manſuetudinem, aut clementiam.

Antecedens delictum ingenue confitetur.

Connexio poteſt peti et a re, et a perſona. Perſona eſt uel laeſa, vel deprecans. Perſona laeſa ſecundum Adiuncta examinatur. Exempli cauſa, ſi ea parens fuerit, ϛοργαὶ illae innatae, quibus parentes in veniam proni eſſe ſoleant : ſin autem fuerit homo alius, idemque honoratioris ordinis, faciles generoſarum mentium motus, clementiaeque, et lenitatis laudes exaggerantur. Perſona deprecans pariter pro Adiunctorum uarietate argumenta uaria ſubminiſtrat. Vrgetur enim uel uitae ante actae innocentia; uel aetatis lubricum ; uel prauorum hominum corruptela ; uel communis hominum ad labendum pro-

procliuitas. Iam res ipsa, siue delictum admissum est uel apertum, uel occultum. Si apertum, dicitur, deprecantem probe id uidere, culpamque ingenue profiteri, eoque magis angi, et dolere gravius; id quod satis poenae bonis mentibus esse uideatur: item, primum hunc esse lapsum, neque unquam antea factum. Sin autem occultum fuerit delictum, I extenuatur, ac transfertur uel in caussas, ut: imprudentiam, errorem, ignorantiam, aetatem; uel in personas alias, a quibus reus aut corruptus, aut instigatus fuerit: II ostenditur, aequum esse, honestumque, ut ex imprudentia lapsis uenia concedatur, maxime, si ignosci sibi petant, ac meliora spondeant.

Consequens culpam deprecatur, iuxta ac ueniam offensi implorat.

Epilogus constat deprecationis repetitione, emendationis pollicitatione, pariter ac promissione, futurum esse, ut alterum haud poeniteat deprecandi ueniam impertiuisse.

Exemplum.

Nemo sine labe nascitur, uiuit nemo. Homo et ipse dedi imbecillitatis humanae documentum. Erraui, fateor: et quid inter homines errore frequentius? Qui dum erunt, errores erunt. Nemo ab hac lege immunis errat uel inuitus, et imprudens, et sine proposito errandi. Atque, ita me lapsum esse, fateor: eoque pronior eris ad ignoscendum. Quod ut facias, et, si quid peccaui, mansuetudini tuae singulari con-

dones, uehementer, etiam atque etiam a te peto Dabo id ego, nauaboque operam, ut emendem, si quid erraui. Saltem illud iterum iterumque preces meae uolunt, uti ignoscas

tuo.

CAPVT IX,

De

EPISTOLIS INTERCESSORIIS.

Quemadmodum in Deprecatoria pro nobis; ita in Intercessoria pro aliis apud aliquem deprecamur. In hac itaque culpam amici fatemur, eidemque ignosci petimus. Quanquam et alio insuper nomine a Deprecatoria discriminatur. Est enim uiri dignitate uel superioris, uel certe paris, pro alio deprecari. Contra Deprecatio propria uel inter pares est, uel inferioris dignitate ad superiorem. Tametsi uero Intercessio est petitio ueniae, pro alio suscepta: tamen non potest ad Petitoriam referri. Nam modo tractandi forensem accusandi formam imitatur. Ceterum partim res ipsa extenuatur; partim qualitas personae exaggeratur. Extenuatio fit contemplatione aetatis, imprudentiae, delicti ipsius. Ad exaggerationem spectant: personae nobilitas, uitae ante actae innocentia, merita in rempublicam, futura hominis ratione reip. utilitas: item, quantum ad rem praesentem attinet, poenitudo, spesque uitae melioris. Definitio est: Epistola Intercessoria est, qua cuipiam ignosci petimus.

Enthy-

Enthymemata.

I. Aliquis offenſam meruit. Cum autem ipſum poeniteat; Igitur interuenio.
II. Pro aliquo deprecatus es. Cum autem ipſum poeniteat; Ideo ignoſco.

Diſpoſitiones.

I.

Exordium duci poteſt iterum a loco communi de humana imbecillitate: aut ab offenſi commendatione propter animi manſuetudinem, et lenitatem.

Antecedens delictum, ab aliquo commiſſum, commemorat.

Connexio petitur uel a perſona; uel a re ipſa. Perſona eſt uel laeſa, uel laedens. Laeſa ſecundum Adiuncta examinatur. Si parens fuerit, στοργαὶ innatae, quibus parentes adducti ad ueniam faciles eſſe ſoleant, exaggerantur: ſin perſona alia, eademque conditionis honoratioris fuerit, clementia eius ſingularis, et faciles generoſarum mentium motus. Laedens ſimiliter ex loco Adiunctorum uaria miniſtrat argumenta. Vrgetur uero in primis eiusdem nobilitas, bona indoles, meritum, uitae ante actae innocentia, aetatis imbecillitas: item ſtatus praeſentis miſera conditio, propterea quia reus in magno moerore uerſetur, omnia timeat, nec mediocrem dolorem propter culpam admiſſam prae ſe ferat, ut uel propter hoc miſericordia uideatur dignus. Iam, quod ad rem ipſam, hoc

eſt, ad delictum attinet, I dicitur, reum delictum ingenue confiteri, eoque magis angi; id quod ſatis poenae bonis mentibus eſſe uideatur: II extenuatur, ac transfertur uel in cauſas: imprudentiam, errorem, ignorantiam, aetatem; uel in perſonas alias, a quibus aliquis fuerit corruptus: III oſtenditur, aequum, et honeſtum uideri, ut ex imprudentia lapſis detur uenia, maxime, ſi ignoſci ſibi petant, ac meliora promittant.

Conſequens delicti ueniam pro reo implorat.

Epilogus continet emendationis uitae, nomine rei, pollicitationem, auctoritatis interpoſitionem, ac pro reo fideiusſionem.

II.

Exordium a nunciatione literarum redditarum.

Antecedens ab earundem argumento, nempe ab alterius pro aliquo deprecatione.

Connexio oſtendit, aequum eſſe, ut culpam agnoſcentibus, fatentibusque, detur uenia, praeſertim, ſi ſimul alii pro ipſis deprecentur, quibus uix aliquid denegare poſſe uideamur.

Conſequens promittit, ſcriptorem offenſam depoſiturum.

Epilogus ſtudium in aliis quoque rebus gratificandi offert, atque pollicetur.

Exempla.

Amori meo, quo Titium complector, confidentiam, qua te interpello, condonabis. Hoc enim ut facerem ſua cauſa, uehementer a me petiit, in tuum ſe odium incidiſſe, conqueſtus. Sperabat

rabat autem, ueniam se facilius impetraturum, si precibus suis meas iungeret. Poenitet eum facti, eoque minus officium illi meum negare potui. Poenitet autem, quia, se deliquisse, sentit. Succenses merito, scio: at eo maior mansuetudinis laus erit, quo iustior fuerit irae causa. Si lente irasci uoles, non illum magis, quam te ipsum torseris. Quo aequius erit te exorari. Remitte aliquid adolescentiae ipsius, et lacrymis: remitte indulgentiae tuae. Quemadmodum amasti hominem: ita, ut spero, amabis porro. Si amplius offensam meruerit, irascaris licet, quamdiu uoles. Facies deinde excusatius. Nunc autem, ut errori eius placabilem te praestes, rogo te uehementer. Rogabo postea nunquam, si te nunc exorauero. Atque, hoc fore, ipsi praedixi. Ita uero eum cum terruerim, spero, in posterum cautius mercaturum.

II.

Literae tuae sunt mihi redditae, ex quibus uoluntatem tuam cognoui. Pro Titio deprecans me reconciliatum cupis. Aequum uidetur, uti dem ei ueniam, non modo, quod, ipsum poenitere, scribas; uerum etiam, quod pro ipso depreceris. Omitto reliqua, quae sapienter admodum monuisti, quae ad beneuolentiam non magis me inuitant, quam uel rapiunt. Quo minus possum intermittere, quin, si quid admissum est, liberaliter ignoscam. Quod sicut tuae in primis deprecationi condonatum uolo: sic

 uelim,

uelim, tanto maiore poftea beneuolentia me digneris.

CAPVT X, De EPISTOLIS RECONCILIATORIIS.

Reconciliatoria uerſatur uel inter duos, uel inter tres. Si inter duos, unus eſt reconcilians, alter reconciliandus: ſin inter tres, tunc duo ſunt inuicem infenſi, tertius uero arbiter. Vbi autem hi tres adſunt, magna prudentia, magna cautione opus, ut ne alerutrum ex infenſis laedere, aut alterutri derogare uideamur. Sic enim reconciliatio debet inſtitui, ut uterque demulceatur, at in neutrum tamen reconciliandorum, ſed potius in alia omnia culpa conferatur. Reconciliator ipſe aut maioris, aut paris certe dignitatis eſt: reconciliandi autem ſibi inuicem aut pares, aut non multum impares. Quamuis uero quibusdam placuerit hanc epiſtolam coniungere cum Conciliatoria: tamen, quoniam illa et argumenta Generis Iudicialis requirit, et modo tractandi a literis Generis Deliberatiui diſtinguitur, Generi Iudiciali eam uindicamus. Ceteroquin, id quod ex ante dictis poteſt colligi, gemina datur Reconciliatio. Nam nos uel nobiſmet ipſis, uel aliis alios reconciliamus. Scribitur adeo Reconciliatio ſiue nomine proprio, ſiue alieno: eandemque ob cauſam et gemina reſponſio exiſtit. Generatim epiſtola Reconciliatoria

ſic

ſic definitur: Eſt, qua quiſpiam uel ſibi, uel alii, aliquem reconciliare ſtudet.

Enthymemata.

I. Offenſa inter nos ~~uita~~ orta eſt. Cum autem optimum uideatur eam obliterari; Ideo obliteratam uolo. II. Iraſceris alicui. Cum autem renouatio beneuolentiae exoptetur; Hinc te reconciliatum uolo. III. Amicitia priſtina deſiderata eſt. Cum autem aequum ſit ſimultatem deponere; Idcirco fauorem priſtinum promitto. IV. Aliquis reconciliari uoluit. Cum autem placabilitate nihil ſit laudabilius; Propterea offenſam depono.

Diſpoſitiones.

I.

Exordium a collaudatione alterius, quod is in amicitiam, quam odium pronior eſſe ſoleat.

Antecedens memorat, eundem uiſum eſſe nobis hactenus infenſum.

Connexio pergit, ſcriptorem nolle id repetere, quod alteri forte uiſum fuerit dare potuiſſe ſuccenſendi cauſam: illud tantummodo monere uelle, proprium omnium eſſe hominum errare; homines etiam plerumque peccare imprudentes: ceterum, ſi alter magis in amicitias, quam in inimicitias pronus ſit, eodem nos eſſe animo.

Conſequens ait, ſperare nos, alterum priſtina nos beneuolentia amplexurum.

Epi-

Epilogus subiungit: Vt alter de beneuolentia nostra nihil dubitare habeat: ita nos optare, ut eiusdem a nobis documenta expectet.

II.

Exordium petitur a loco communi de imbecillitate humana: aut a collaudatione offensi propter mansuetudinem singularem.

Antecedens odium, iramue offensi meminerit.

Connexio petitur tum a persona, tum a re. Persona est partim offensa; partim offendens. Illa commendatur ab Adiunctis, potissimumque ab humanitate, mansuetudine, et placabilitate: haec pariter ab Adiunctis, ut a genere, aetate, indole, uita ante acta describitur. Quantum attinet ad rem, seu delictum, partim hoc extenuatur, et confertur tum in causas: aetatem, imprudentiam, effectum; tum in personas alias, a quibus inductus aliquis fuerit: partim ignoscendi honestas, et futura utilitas adducitur.

Consequens pristinam pro aliquo beneuolentiam expetit.

Epilogus officiorum promptitudinem, tum eiusdem, tum etiam scribentis nomine pollicetur.

III.

Exordium a spe, fore, ut nos cum altero in gratiam redeamus.

Antecedens ab eiusdem desiderio, ut nos hoc faciamus, et inuicem reconciliemur.

Connexio a rei huiusce aequitate, necessitate, utilitate.

Conse-

Consequens a promissione amicitiae constantis, ac perpetuae.

Epilogus a pignorum amicitiae, fideique pollicitatione.

IV.

Exordium a significatione, literas fuisse gratas.

Antecedens dicit, ex iis perspectum esse, uelle infensum, ut cum ipso in gratiam redeamus.

Connexio ab aequitate, quae requirat, ut iras haud diu teneamus: a facilitate, nostraque ad placabilitatem pronitate.

Consequens a promissione, scriptorem esse suum aduersarium fauore perpetuo complexurum.

Epilogus reconciliatori pro instauratione, seu renouatione amicitiae gratias persoluit.

Exempla.

I.

Nisi te scirem in amicitias, quam in inimicitias proniorem, haec ad te non perscriberem. Visus es nobis hactenus infensus: neque id, iudicio quidem tuo, iniuria. Quicquid huius rei sit, non illud nunc repetam, quod existimatum est conflasse odium nostri: hoc dicam tantummodo, neminem fuisse unquam, quin errare posset, uel imprudens. Quodsi ipse lapsus es, laberis iterum, si tenebis iras: sin minus, errabis uel hoc ipso, quod reconciliari nolis. Id uero sicut moribus tuis alienum duco: sic spero, pristina te beneuolentia nos amplexurum. Te nec uicissim de beneuolentia

tia nostra dubitare, et eiusdem documenta expectare optamus.

II.

Sumo calamum inuitus: nec mea causa. Allatum est, esse inimicitias inter te, et Seium. Quantum is uel peccauerit, uel quantam offensam meruerit, meum non est definire: illud certe praeterire nequeo, quin exclamem: Quis est, quin erret, quin labatur? quis, qui non saepe uel imprudens? Errare, et ignoscere, iuxta humanum est. Erunt errores, dum homines erunt. Errauerit Seius, esto: homo est. Quid? si errauit forte sine errandi proposito: quid? si nesciat, se errasse. Quicquid huius sit, nec diffitetur, se hominem esse, et pristinae beneuolentiae tuae desiderio tenetur. Quam, semel susceptam, ut ipsi conseruare uelis, in maiorem modum te rogo. Quantum is cupit abs te diligi, tantum prouidebit, ne unquam in odium tuum recidat prudens.

III.

Quod speras, nos inuicem in gratiam rediturus, pergratum est. Idque te non solum sperare, sed etiam cupere, ex literis tuis cognoui. Duco autem aequissimum, idem illud tecum ut et uelim, et optem. Eademque de causa amicitiam perpetuam, et constantem repromitto. Vtque beneuolentiam polliceor singularem: ita pariter, si qua dari poterunt, beneuolentiae documenta.

IV.

IV.

Literas tuas accepi, et ex iis, quid me uelis, intellexi. Vis autem, ut cum aduerſario in gratiam redeam. Id, ne mentiar, mihi pergratum eſt. Ego enim, ut ſemper aequum duxi quam minime diu tenere ſimultates: ita ſemper fui animo in beneuolentiam, quam in odium proniore. Eoque nunc magis etiam animum illuc propendere ſcias, quod, eodem eſſe animo aduerſarium, ex literis tuis didicerim. Eum itaque, tanquam amicisſimum, perpetua deinde, ac ſingulari beneuolentia complectar. Qui uero auctor renouatae fuiſti amicitiae, maximas tibi gratias et habeo, et ago.

PARS QVARTA, DE EPISTOLIS GENERIS FAMILIARIS.

Genus Familiare eſt, in quo nunciamus: quam ob cauſam forſitan non male et Nunciatorium dici poteſt. Nulla enim eſt huius generis epiſtola, quin aliquid nunciet. Veruntamen, quoniam huius generis epiſtolae magnam partem de rebus priuatis agunt, libuit nomen prius retinere. Neque uero ſunt confundendae cum epiſtolis ad familiares, quales ſexdecim uolumina epiſtolarum Ciceronianarum

nianarum

nianarum inscribuntur. Huiusmodi enim literae patent quam latissime, et omnia, atque singula epistolarum nomina exhauriunt. Contra generis huiusce epistolae solo nunciandi argumento definiuntur. Epistola autem Familiaris uel late, uel proprie dicitur. Epistola Familiaris late dicta est omnis ea, in quacunque quidpiam nunciatur: propria uero, quae tantummodo statum domesticum siue explorat, siue nunciat. Notio tamen uerbi latior hic loci nobis militat: quandoquidem nobis est proposita tractatio epistolarum earum omnium, quae nunciando occupautur. Iam sigillatim in Sciscitatoria nunciamus nostrum resciscendi desiderium: in Nunciatoria nunciamus, si quid gestum sit, geratur, aut futurum sit: in Familiari, proprie dicta, aut nunciamus cupiditatem sciendi statum amici; aut exponimus de rebus domesticis: in Lamentatoria queruli uel nostra, uel necessariorum, aut amicorum incommoda nunciamus: in Mandatoria, aut Dante negotium, aliquid nunciamus nostro nomine gerendum: in Obsequiosa datum nobis ipsis negotium: in Officiosa aut nostrum officium, aut inseruiendi studium: in Ciuili nostram beneuolentiae retinendae cupiditatem: denique in Inani nostram ipsorummet beneuolentiam. Ceterum frequens est talium epistolarum usus. Ecquis enim facile intercedit dies, quo non uel aliquid noui accidat; uel negotium aliquod expediendum sit; uel de statu domestico exponi; uel beneuolentiae constantia expeti, uel, si nullum omnino aliud argumentum suppetat, ad minimum de nihilo etiam nonnihil scribi possit?

CAPVT I,
DE
EPISTOLIS SCISCITATORIIS.

Non est eadem haec epistola, ac petitio consilii, uelut quidam tradunt. Haec enim est Petitoria, non secus, ac Petitoria auxilii. Quod si tamen Sciscitatoriam omnino Petitoriam salutare libet, erit Petitoria nunciationis rei nouae. Iam sunt tria genera rei nouae. Haec enim aut iam praeteriit, aut est, aut futura est. Hinc et Percontatoriae epistolae genera sunt totidem: aliud rei praeteritae, aliud praesentis, aliud futurae. Porro ad genus unumquodque responsio gemina dari potest: una annuens, abnuens altera. Quae res quo magis constet, materias aliquot harum literarum dabimus. Proinde sciscitari possumus, exempli causa: nunquis literas nostras acceperit, aut curauerit: nunquis redierit? ecquis status sit Academiae? nunquis diutius quopiam in loco mansurus sit? num suscepturus honoris gradum? ecquando uenturus, abiturus, rediturus? Iamque satis nunc, opinor, constat, Sciscitatoriam esse, in qua quaeratur, quid factum sit, fiat, aut futurum sit.

Enthymemata.

I. Scire cupio, quid factum sit, fiat, futurum sit. Quod scire cum referat (iuuet) Ideo sciscitor. II. Aliquid sciscitatus es. Quod scire quoniam tua referre (tibi non ingratum fore) uidetur; Te certiorem fa-

 cio.

cio. III. Aliquid percontatus es. Cum autem satisfacere nequeam; Igitur ueniam peto.

Dispositiones.

I.

Exordium petitur ab amore alterius erga scribentem: aut ab huius fiducia, in illo posita.

Antecedens rem ipsam, quam scribens scire desiderat, breuiter exponit.

Connexio ducitur I ab utili, quod nostra referat aliquid rescíscere: II a iucundo, quod rei alicuius nunciatio nobis sit gratissima futura: III a facili, quod alteri sit in procliui nos facere certiores: IV a necessario, quod rem aliunde rescíscere nequeamus.

Consequens rem ex altero sciscitatur.

Epilogus officia mutua, gratumue animum promittit, ac pollicetur.

II.

Exordium nunciat, literas nobis redditas esse.

Antecedens argumentum repetit.

Connexio partim rationes, ab amico allatas, repetit: partim addit alias, ab honestate officii, et postulati aequitate deductas.

Consequens amicum de re quapiam certiorem reddit.

Epilogus noua officia, aut obsequia promittit.

III.

Exordium a collaudatione humanissimae scriptionis.

Ante-

Antecedens percontationem, nobis missam, repetit.

Connexio partim ab aequo accersitur, diciturque, aequitatis esse, ut, si quidem possimus, amico satisfaciamus: partim ab impossibili, eo quod, ut uelimus quam maxime, tamen gratificari nequeamus.

Consequens scriptorem alteri excusat, quod is ipsi non gratificetur.

Epilogus promittit, hanc officii intermissionem maiori in posterum, si fieri possit, officiorum frequentia sartum iri.

Exempla.

I.

Quo magis mihi faues, hoc minus indigne feres, quod aliquid ex te quaeram. Scire uelim, num - - - Magnam uero gratiam tibi debebo, si dederis operam, ut id mihi notum fiat. Nihil enim optabilius mihi accidere poterit. Quare maiorem in modum a te peto, ut uoluntati meae, quod quidem sine incommodo tuo fieri possit, satisfaciendum putes. Quod si ego uicissim uoluntati tuae gratificari potuero, faciam illud, et libens: neque ullum unquam onus, si quod mihi imponas, defugiam.

II.

Quanto maior est tua in me humanitas, tanto minus possum intermittere, quin tibi sciscitanti rescribam. Quaeris, num - - - Quod resciscere quam gratum tibi, iucundumque fore

 intel-

intelligo, tam in te iniquus essem, meo si officio deessem. Quod quo magis tibi debeo, hoc minus denegandum duco. Nuncio itaque - - - - Habes, quod quidem scire ex me desiderabas. Quod te celare nequii, pro amore eo, quo te complector

tuus.

III.

Quo pleniores beneuolentiae literas ad me dedisti, hoc essem inhumanior, nisi tibi satisfacere optarem. Doceri a me cupis - - - Me omnino tibi obstrictum duco ad gratificandum uoluntati tuae: sed quanto magis id destino, tanto minus possum perficere. Qua de causa, quod officium tibi meum haud praestem, ut tibi me excusatum habere uelis, uehementer rogo. Si acciderit in posterum, ut tibi inseruire possim, neque hic, neque aliis in rebus, ulla erit mora

in tuo.

CAPVT II,

De

EPISTOLIS NVNCIATORIIS.

Est, qui Narrationem a Nunciatione distinguat, et illam ad res eas referat, quae scriptorem attingunt propius, et siue personam eius, seu familiam spectant; hanc autem ad res publice gestas accommodet. At nos, praeterquam quod uix tale illorum uerborum discrimen agnoscamus, subtilitatem nimi-

am

am improbamus. Accedit, quod expositio rerum priuatarum ad epistolam familiarem potius, quam siue ad narrantem, siue ad nunciantem referri mereatur. Alii epistolam Narratoriam opinantur esse eam, qua significemus id, quod alterius referat scire: Nunciatoriam contra, qua indicemus id, quod alteri uoluptatem sit allaturum. At nos neque hac in parte differentiam uenamur. Melchior *autem* Iunius, *in* Scholis Rhetoricis, *Nunciatoriam ponit triplicem, diuiditque eam in Nunciationem de rebus priuatis aliorum: in Nunciationem de rebus priuatis nostris; et in Nunciationem, ad res publice gestas pertinentem. Illuc adeo refert* Cic. IV, 12, *in qua epistola* S. Sulpicius Ciceroni *de caede M. Marcelli scribit: istuc* XVI, 21, *ubi* Cicero filius *ad* Tironem *de suis studiis, praeceptoribus, exercitationibus, amicis, et familiaribus scribit: huc* II, 5, *ubi* Cicero Curionem *de reip. statu certiorem facit. Verum enimuero malumus genus medium ad familiares literas relatum. Ad Nunciatorias uero et reiici possunt, quas* Iunius Denunciatorias *nominat, in quibus quasi futura praedicimus, deque iis, quae uidentur imminere, amicos facimus certiores. In quarum praecipue numero ponit* L. VIII, ep. 21 ad Att. *et prae ceteris elegantem putat, et malorum reip. impendentium πρόῤῥησιν, seu denunciationem babentem. Ac pertinent tales epistolae speciatim ad Nunciatorias de futuris rebus. Est enim Nunciatoria, perinde ut Sciscitatoria, uel de re praeterita, uel de praesenti, uel de futura. Denique neque nos fugit, esse, qui Narratoriam, et Nunciatoriam, epistolas sic*

finiat, ut illam dicat esse eam, qua rem, apud nos gestam, longe positis exponamus: Nunciatoriam uero, qua nouarum rerum quippiam annunciemus, siue de publicis, siue priuatis, siue etiam domesticis. Verum nos neque huic tandem sententiae adstipulamur, uel ideo, quod talis uerborum differentia uix usquam reperiatur. Nam neque uerba illa locorum interuallis distincta sunt, et nunciatio, proprie intellecta, tantummodo ad publica referri debet. Atque ut dicamus tandem, quod sentimus, Nunciatoriam arbitramur esse eam, qua significamus alicui, si quid nouae rei publice acciderit, aut geratur, aut denique futurum sit: idque siue apud nos, siue apud alios: quod quidem scire uel alterius referat, uel certe uoluptatem sit eidem allaturum. Per rem tamen publice gestam, aut gerendam, non tantum intelligimus eam, quae ad remp. spectat, ut si quis scribat de pace, bello, regum gestis, aut foederibus; de pestilentia, inundationibus, terrae motibus, aliisque id genus: sed etiam omne praeterea illud, quod ad nos, nostramue familiam, necessitudines, affinitates haud attineat, si cum maxime priuatum sit: ut si de uita, studiis, consiliis, actionibus, fortuna, casu familiae alienae, aut cuiuscunque ciuis, hominisue alius scribamus. Postquam ita de ui, atque significatione epistolae praesentis diximus, de dispositione nunc monendum, literas hasce fluere liberrime, et rarissime omnibus constare partibus, et saepe nihil praeter narrationes, et Consequens, id est, nihil, nisi Enthymema Fundamentale complecti. Quorsum uel in primis referas Cic. ad fam. X, 30, *ubi, post uarias expositiones, tandem hac*

con-

concludit formula : Res bene gesta est. *Ad extremum diuisiones epistolae Nunciatoriae reddendae sunt. Primo autem alia est de rebus scitu necessariis, alia de non necessariis : secundo alia laeta, alia tristis : tertio alia simplex, seu narrationis unius ; alia composita, seu narrationis uariae, et multiplicis. Praeterea tenendum, quod sint tot Antecedentia Fundamentalia, quot narrationes, quibus subinde Connexiones adspergi solent. Responsio autem ad Nunciatoriam uel generalis esse potest, et gratiarum actoria ; uel specialis, et quae siue gratulationem, siue solatium, siue hortationem ad patientiam, siue nescio quid aliud exprimat. Sed definitionem ipsius Nunciatoriae repetimus : estque adeo Nunciatoria, qua cuipiam, quid factum sit, fiat, aut futurum sit, quod scire ipsius referat, aut eundem iuuet, significamus.*

Enthymemata.

I. Res laeta gesta est (geritur, gerenda est) Quam scire cum tua referre (tibi non ingratum fore) uideatur ; Igitur nuncio. II. Res tristis gesta est (geritur, geretur) Quam rescíscere cum tua interesse (tibi gratum fore) uideatur ; Hinc nuncio. III. Rem iucundam nunciasti. Quo officio cum nihil optabilius praestare potueris ; Magnas ago gratias. IV. Rem tristem nunciasti. Quo officio ut ualde tibi obstrictus sum ; Ita gratias tibi ago.

Dispo-

Diſpoſitiones.

I.

Exordium deſumi poteſt ab affectu laetitiae: aut a ſilentii, rariorumue literarum excuſatione: aut a ſcriptionis cauſa impellente interna.

Antecedens dicit, aliquid factum eſſe, geri, aut futurum eſſe: pariter et ſingula narrationis capita, ſecundum antecedentia, concomitantia, et conſequentia recenſet.

Connexio narrationis factae rationem reddit eam, quia aliquid reſciſcere uiſum fuerit alterius intereſſe, aut iucundum ipſi futurum eſſe. Poſſunt etiam, his rationibus generalibus diſſimulatis, ſi plures narrationis partes fuerint, harum ſingulis, aut certe quibusdam, rationes, et aetiologiae conuenientes annecti.

Conſequens dicit, hoc perſcribendum alteri fuiſſe: aut ſcribentem hoc alterum ſcire uoluiſſe.

Epilogus in gratulatione finit, praetereaque in ſtudii, officii, obſequii pollicitatione acquieſcit: nonnunquam etiam in petitione narrationis mutuae.

II.

Exordium peti poteſt aut ab affectu triſtitiae: aut ab aliqua ex rebus ceteris, antea adductis.

Antecedens eſt idem, ac ſupra fuit.

Connexio dicit, noſtrum eſſe officium, ut alteri aliquid nunciemus, quod licet ipſi ingratum ſit futurum; tamen ſcire eiusdem intereſſe uideatur.

Conſequens rurſus eſt idem, quod ſuperius.

Epilo-

Epilogus desinit in solatio, in uoto, in officii, aut obsequii promissione.

III.

Exordium potest sumi a laetitia, ex allatis literis percepta.

Antecedens rem annunciatam breuiter perstringit, breuiterque repetit.

Connexio dicit, eam scire permagni nostra retulisse; aut iucundum nobis fuisse. Qua in re sicut alter amorem nobis suum testificatus fuerit; ita eum sibi nos magnopere obstrinxisse.

Consequens gratias persoluit maximas.

Epilogus animi grati studium; item officia, obsequia, seruitia promittit.

IV.

Exordium a dolore, ex literis capto.

Antecedens rem nunciatam breuiter repetit.

Connexio dicit: Vtut res parum grata innotuerit, tamen alteri nos eo officio uehementer obstrictos esse.

Consequens gratias debitas agit.

Epilogus optat fata meliora, pariter atque alteri studia, officia, seruitia pollicetur.

Exempla.

I.

Fecit obseruantia in te mea, ut literas hasce ad te darem. Illa etenim permotus, quid acciderit, quin tibi significarem, intermittere non possum. Te quidem nouarum rerum scio cupidum: eoque minus garrulitatem meam gra-

uiter feres. Praesertim cum tibi non ingratum fore confidam, quod indicabo. Te autem celare nolo ---- Hoc te itaque scire uolui. Probabis, spero, officium, perinde ac porro complecteris

tuum.

II.

Quantum exopto animum tuum exhilarare, tantum me doleo non posse. Nam ---- Quod tametsi minime optatum nuncium uidebatur, tamen nihilominus sperabam, non ingratum tibi officium me praestiturum, si perferrem. Quamobrem praeterire nolui, quin ea de re facerem te certiorem. Quodsi laetiora deinde scribere potuero, non intermittam animum tuum exhilarare

tuus.

III.

Quantum boni, tantum laetitiae literae mihi tuae attuleruut. Significabant enim ---- Qui nuncius quam gratus, optatusque mihi fuit, tam certo tibi uelim persuadeas, multum tibi hoc officio me obligatum esse. Quare non possum praeterire, quin tibi gratias agam, et habeam singulares. Si quando referre etiam potuero, nauabo id strenue operam, ut nihil studii, et officii uidear unquam intermisisse

tuus.

IV.

Quo minus boni literae tuae, hoc plus tristitiae mihi attulerunt. Nunciabant enim ---. Quantum,

tum, proh Deum immortalem! ille nuncius me perterruit? Sed, quantumcunque excruciarit, gratus tamen, acceptusque fuit. Siue enim laeta, seu tristia nuncientur, non potest non gratum mihi accidere, si quid rescifcam nouarum rerum. Sicut igitur eo officio nihil maius praestare mihi potuisti: ita tibi ea re uehementer me deuinctum scias. Vt autem mihi fecisti gratum: ita essem ingratus aduersus te, nisi gratias tibi agerem, haberemque singulares. Tales ergo ago non tantum, sed etiam habeo. Quodsi grata etiam officia tibi praestare potuero, faciam, uti sentias, te non in hominem immemorem quicquam contulisse.

CAPVT III,
DE
EPISTOLIS FAMILIARIBVS.

Nomine epistolae Familiaris intelligimus epistolam ad amicum de re familiari, ac priuata, quaeue ad nos ipsos, aut ad nostros pertineat, scriptam. Exempli causa, si quem absentem certiorem faciamus, qua simus ualetudine, quid agamus in studiis, quid rure, quid in aula: item, quid in litibus successerit; aut, quid alioquin rei nouae siue gesserimus, siue moliamur, siue facturi simus, usque ad conuiuiorum, et colloquiorum nugas. Est autem huiusmodi epistola triplex: Sciscitatoria de statu amici, Nunciatoria status nostri boni, et Nunciatoria status nostri mali. Ad Sciscitatoriam triplex quadrat responsio. Aut

Aut enim generatim respondetur, aut nunciatur status laetus, aut tristis. Ad Nunciatoriam laetam respondetur exprimendo gaudium: sed ad tristem exprimendo dolorem, tristitiamque. Ex his adeo patet, epistolam Familiarem esse, quae ultro citroque mittatur ab amico ad amicum, siue explorandae, siue nunciandae ualetudinis, statusque priuati causa.

Enthymemata.

I. Cupio scire statum tuum. Cum autem ea re nihil gratius possit accidere; Hinc peto, ut me certiorem facias. II. Libenter de rebus meis cognoscis. Cum itaque rebus meis iucundis nihil tibi optatius esse soleat; Igitur de illis te facio certiorem. III. Libenter de rebus meis doceri soles. Cum autem solatium in tua beneuolentia quaerendum statuam; Significo, res meas deteriore esse loco. IV. De statu meo percontaris. Quia uero amicorum omnia sunt communia; Scias, eodem loco res meas esse, quo sint tuae. V. Requiris statum meum. Cum igitur sciam, te laetari rebus secundis meis solere; De iis te certiorem facio. VI. De statu meo sciscitaris. Cum autem in rebus aduersis non parum solatii a tua beneuolentia expectare possim; Te certiorem facio, me rebus cum aduersis conflictari. VII. Scribis, te agere

agere ex animi ſententia. Quo nuncio cum nihil iucundius afferri potuerit; Hinc magnas ago gratias. VIII. Scribis, te eſſe miſerum. Quo nuncio ut nihil acerbius perferri potuit; Ita uicem tuam doleo.

Diſpoſitiones.

I.

Exordium petitur ab excuſatione frequentium literarum: aut a proprio amicitiae, quod inter alia ſit poſitum in commercio literarum perfrequenti.

Antecedens exponit deſiderium ſciendi, ecquid ualeat amicus, quidue agat.

Connexio deſumitur a uoluntate, et amore erga alterum: a iucundo, quia ſcribens libenter amici res, ſtatumue reſciſcere ſoleat: ab utili, quia amicus ſaluus, ac florens, multum amico prodeſſe poſſit.

Conſequens ipſam ſciſcitationem repraeſentat.

Epilogus rogat, ut amicus ſcribentem de rebus ſuis certiorem faciat: ſtudia item, et officia mutua promittit.

II.

Exordium ab alterius erga nos beneuolentia.

Antecedens a conſueta eiusdem cupiditate ſtatum noſtrum reſciſcendi.

Connexio uoluptatem commemorat, quam alter ex rebus noſtris laetis capere ſoleat.

Conſequens, res noſtras eo loco eſſe, ſignificat, quo eſſe optemus: aut aliquid boni nos adeptos eſſe.

Epilogus ſimilem, aut meliorem, et eam conſtantem

tem fortunam exoptat, eandemque nobis uicissim significari petit.

III.

Exordium est idem, quod proximum.

Antecedens a noto alterius, ut de statu, rebusque nostris saepe fiat certior.

Connexio partim a molestia, quae alteri ex aduersis nostris oriri soleat: partim ab utilitate, quam ex nunciatione eorundem speremus, quando non dubitemus de solatio nobis impertiendo.

Consequens statum nostrum, resque aduersas exponit.

Epilogus ambit solatium, pariter et meliorem alteri, constantioremque fortunam, ac nullo unquam moeroris confinio laedendam precatur.

IV.

Exordium a gaudio, ex alterius literis percepto.

Antecedens earundem argumentum repetit, nempe sciscitationem status nostri.

Connexio petitur ab affectu, ostenditurque, exinde singularem erga nos beneuolentiam fuisse cognitam: ab effectu: eo adeo nomine multum alteri nos debere.

Consequens pergit: Hinc non fuisse intermittendum, quin statim rescriberemus.

Epilogus orat, ut alter amoenissimum literarum commercium sedulo frequentet, ac de rebus suis nos saepissime faciat certiores: item beneuolentiae perpetuae nos commendat.

V. Ex-

V.

Exordium narrat, literas esse redditas.

Antecedens sciscitationem amici de rebus nostris reddit.

Connexio petitur ab amore alterius erga nos, per sciscitationem declarato.

Consequens exponit, res nostras satis bene se habere.

Epilogus constantem alteri felicitatem apprecatur.

VI.

Exordium cum Exordio praecedente conuenit.

Antecedens itidem cum Antecedente proximo.

Connexio ducitur partim ab aequo, dicendo, aequum esse, ut percontationi satisfaciamus: partim ab honesto, nempe ab ipsa alterius beneuolentia, nobis ea re declarata, partim ab utilitate, ex alterius solatio, post praeuiam nostram nunciationem speranda.

Consequens malum de rebus nostris nuncium affert.

Epilogus sortem meliorem amico precatur.

VII.

Exordium a uoto nostro, ut alter semper ualeat, et ex auimi sententia agat.

Antecedens acceptarum literarum argumentum repetit.

Connexio partim a iucundo ducitur, diciturque adeo, pergratum illum nuncium nobis fuisse: partim ab effectu, nos eo officio multum alteri uideri obstrictos.

Con-

Consequens affirmat, literas eiusdem nobis per fuisse iucundas.

Epilogus felicitatem stabilem, et constantem optat.

VIII.

Exordium a uoto perpetuae felicitatis; pariter ac a contrario uoti euentu.

Antecedens memorat, nos ea de re literis alterius factos fuisse certiores.

Connexio ducitur a meritis alterius, fortuna meliore dignis: a molesto, et iniucundo: ab officiis alterius in nos collatis.

Consequens pergit, ingratas adeo literas alterius merito nobis fuisse.

Epilogus concludit uoto sortis melioris, et occasionis frequentissimae res secundas alteri ex animo gratulandi.

Exempla.

I.

Seruo amicitiae decus, et literas frequento. Teneor autem cupiditate incredibili cognoscendi, quo loco res sint tuae. Quod scire tanto magis cupio, quanto magis te diligo. Nosti, magnum amorem magno semper metui iunctum esse. [illegible]de igitur tua causa metuo, eo quod te amo ualde. Si me redamas, quamprimum me hoc metu liberabis. Id fiet, si docebis, nunquid ualeas, et quid agas, quo loco res sint tuae. De his enim haud secus soleo esse solicitus, ac de meis, ut qui multas habeam causas, cur te amem.

Quo

Quo magis a te contendo, ut de rebus tuis me quamprimum facias certiorem. Caue igitur putes, quicquam literis tuis mihi iucundius fore, et de statu tuo quantocyus me edoce. Quod sicut mihi pergratum erit: ita dabo operam, ut grata uicissim officia tibi praestem

tuus.

II.

Vt non dubitaui, literas hasce tibi non ingratas futuras esse: ita eas tibi mittere intermittere nolui. Soles ardere cupiditate rescissendi, quo loco sint res meae. Neque tibi iniucundum scio audire, si quando sint secundae. Ne itaque gaudium tuum differam, eo loco res meas affirmo esse, quo esse uelim: neque causam mihi esse, quamobrem cum fortuna mea expostulare posse uideam. Quo magis autem gaudere possim, mutua, quaeso, rerum tuarum nunciatione animum exhilara

tui.

III.

Cum libenter legas meas literas, hinc fit, ut saepius iis te appellem. Etsi uero nihil laeti in praesentia possum scribere: tamen te scio de rebus meis omnibus doceri uelle. Soles enim, ubi opus, ad solatium, ac medicinam paratus esse. Quo minus te celare possum, me in magnis miseriis uersari. Quantum te scio mihi cupere, tantum confido fore, ut mihi condoleas,

tuo.

IV.

Quam bene mihi uelis, et cupias, literae tuae edocuerunt. Nam ſcire aues, quo loco ſint res meae. Noſti illud : κοινὰ τὰ τῶν φίλων πάντα. Noſti, praecepiſſe Pythagoram, ut in amicitia fiat unus de pluribus Quam fidelis autem amicitia tecum mihi coniuncta ſit, noſti. Quare, uel me tacente, ſcire potes, eodem loco res meas eſſe, quo ſint tuae : ualere me, ſi tu ualeas: bene agere, ſi tu bene agas; ſin minus, nec me. Vtque tuam mihi amicitiam perpetuam exopto : ita res meae et porro eo erunt loco, quo tuae.

V.

Quantae tibi ſim curae, literae tuae oſtenderunt. De ſtatu meo percunctaris. Quod quanto maius amoris in me tui teſtimonium eſt. tanto minus intermittere debui, quin expectationem deſiderii tui implerem. Scias ergo, eo res noſtras loco eſſe, quo tu mecum eſſe cupis. Vt autem merito tuo te facio plurimi: ita tuas opto pariter eſſe loco eo, quo eſſe cupis.

VI.

Literae tuae ſunt mihi redditae, ex quibus animum in me tuum cognoui. Quo libentius autem de rebus meis certior fieri cupis; hoc magis uereor, ne parum iucundum afferam nuncium, ſi rebus aduerſis me uti ſcribam. Veruntamen, cum non parum ſolatii in tua beneuolentia quaerendum eſſe ſtatuam, te celare nequeo

nequeo --- Ego ſicut nunquam talia de te audire uelim : ita fortunam meliorem, eandemque conſtantem tibi exopto

tuus.

VII.

Vt pergratum fuit literarum tuarum argumentum : ſic ipſae literae. De rerum tuarum proſperitate feciſti me certiorem. Quo nuncio quemadmodum mihi nihil gratius accidere potuiſſet : ſic plurimum tibi hoc nomine debere uideor. Tua enim mihi ſalus aeque grata eſt, ac mea eſſe poteſt. Quamobrem caue, putes, quicquam mihi literis tuis iucundius uenire potuiſſe. Vt uero tua cauſa perpetuam gaudendi materiam mihi opto, ita tibi florentem ſemper fortunam.

IIX.

Quantopere tua ſemper cauſa laetari cupio, tantopere ſum conſternatus. Neſcio enim, quem nuncium inauſpicatum literae tuae attulerunt. Quae res tanto me dolore affecit, quanto debet eum, qui te et in primis carum habeat, et ex animi ſententia agere cupiat. Nam, ſi cuiquam, tibi certe cupio, eiusque rei cauſas complures habere uideor. Quare, cum fortuna uotis meis tantopere aduerſata ſit, caue putes, tuis literis quicquam mihi triſtius uideri potuiſſe. Ceterum, quo magis irrita pro te hactenus uota feci, hoc minus talia ut mea ſint in poſterum, opto

tuus.

CAPVT IV, DE EPISTOLIS LAMENTATORIIS.

IN epistola Expostulatoria de iniuria querimur; in Lamentatoria de fortuna aduersa: ibi cum persona; hic ad personam. Ac Lamentatoria fere nihil differt a Familiari illa, in qua res nostrae aduersae nunciantur. Profecto re nulla alia, nisi quod ibi aduersa multa, bic unum commemoretur. Responsio autem non multum a Consolatoria, si spectes materiam, dissidet. Propter quascunque enim res consolari aliquem, de iisdem fere rebus conqueri possumus. Est ergo epistola Lamentatoria, seu Querula, qua aliquis de rebus aduersis, siue suis, siue suorum conqueritur.

Enthymemata.

I. Miser sum. Iam cum difficile sit tacere, ubi doleas; Igitur conqueror. II. De fortuna conquestus es. Cum autum nulla nimii doloris causa sit; Rogo, ut illi modum, finemque statuas.

Dispositiones.

I.

Exordium ducitur a collaudatione fidei, amoris, seu beneuolentiae, misericordiae alterius: aut omittitur.

Ante-

Antecedens calamitates exponit secundum antecedentia, concomitantia, et consequentia.

Connexio malorum grauitatem exaggerat. Dicitur autem res querelis digna esse, et doloris I proponitur causa efficiens, quae est uel ira Dei, uel hominum malitia: II effecta, et damna, calamitates subsequentia, et uel reip. aut rei domesticae, uel famae, uel opibus, uel honori, uel uitae ipsi impendentia.

Consequens querelam ipsam complectitur.

Epilogus querelam longiorem praecidit; patientiam, animique magnitudinem significat, utque Deus ab altero mala huiusmodi uelit auertere, exoptat: amorem denique, et studia, aut seruitia pollicetur.

II.

Exordium a dolore, ex literis alterius exorto.

Antecedens: Ex iis enim fuisse intellectum, amicum rebus aduersis uti.

Connexio I a causa efficiente: Omnia cum bona, tum etiam mala a Deo proficisci: II a Necessario: Vitam humanam, ac praecipue hominis Christiani, multis calamitatibus esse obnoxiam: III a Superuacaneo: Moerore nihil profici: IV a Damnoso: Malum dolore reddi grauius: V a Contrario: Ferendo contra leuius: VI a Decoro: Decere creaturam, nihil tergiuersantem, aut reluctantem, obsequi suo Creatori; hominem autem Christianum Patri suo Coelesti: VII a Facili: Breuem calamitatem fore, neque diu duraturam: VIII a Iucundo: Bonum post infortunium antegressum apparere dulcius, magisque delectare.

Consequens rogat, ut amicus res aduersas aequo animo ferat.

Epilogus uotum sortis melioris subnectit, ac de cetero perpetuae scribentem beneuolentiae commendat.

Exempla.

I.

Quo maiorem erga me habes beneuolentiam, hoc fidentius scribo. Caue autem uerba mihi putes suppetere, quibus satis exponam, quibus conflicter cum malis. Aliud ex alio. Quid? abyssus abyssum uocat. Credo, aduersa omnia ad opprimendum me coniurasse. Ita, ubi unum effugi malum, succedit aliud multo acerbius. Deum immortalem! in quibus uersor angustiis? quos incidi in fluctus? ecquis, uel ipse Hercules, tot, tantis, tamque continuis malis tandem nunc succumbat? O me omnium, qui sunt, quiue fuerunt, infaustissimum! Sed quid meis querelis te onero? Vt in sinu tuo partem curarum mearum deponam: ut tu, si possis, solatio erigas infelicem hunc Polycratem, cui aduersantur omnia, cui nihil ex uoto respondet quicquam. Hoc igitur facies. Si feceris, obturabo facilius, magnoque feram animo, quaecunque intonuerit tempestas.

II.

Ego uero non reperio, quibus uerbis uicem tuam lugeam. Doleo sane hoc acerbius, quo magis quereris. Sed tamen, cur diu conqueraris, arbitror,

bitror, uix esse causam. Vt malum a bono nunquam separatur: ita nec unquam bonum a malo. Vt laetis tristia, sic tristibus uicissim laeta commiscentur. Idque habetur melius, quam solis rebus secundis uti. Quantum, quaeso, uel sola praeteriti doloris recordatio delectationem habet? Maris, coelique, inquit in Panegyrico Plinius, temperiem turbines, tempestatesque commendant. Nonne etiam prospera ualetudo iucundior e graui recreatis morbo? Adde, nimium dolorem uiro sapiente, nedum Christiano homine indignum semper fuisse habitum. Ecquid porro moerere iuuat? Tantum abest, ut calamitates minuat, ut etiam exaggeret. Multa praebui solatia: quae tamen omnia longe uincit diuinae recogitatio uoluntatis. Sine Dei numine nihil fit, nihil accidit, nihil geritur unquam. Ac uel unum istud tibi ante oculos proponens uinces te, perinde ac meliorem a Deo fortunam expectabis. Quae ut tibi non minus contingat propediem, quam eodem semper uestigio insistat, tota cogitatione cupio, atque ex animo opto

tuus.

CAPVT V,
DE
EPISTOLIS MANDATORIIS.

IS, *qui mandat, dicitur Mandans: cui uero mandatur, Mandatarius. Ille cum imperio, atque*

 auctori-

auctoritate negotium alicui committit : hic fide pro obsequii suscipit, Mandantique respondet, fideliter se gesturum. Potest autem, immo debet Mandatarius respondere etiam post mandata, siue feliciter, siue secus peracta. Quapropter responsiones erunt quatuor: duae quidem ad mandatum; reliquae post negotium gestum : quarum una erit laeta, altera autem tristis. Veruntamen, cum haec ratio pariter in capite subsequente obtineat, placuit nobis priores tantummodo responsiones hic apponere, sed reliquas epistolae Danti negotium, tanquam huic ipsi, et Mandanti epistolae communes, succenturiare. Materia epistolae Mandantis erit, exempli causa, procuratio musei, aut conuictus, aut mutui, aut commodati, aut rei alius ; exactio debiti, emptio, conductio, uenditio, locatio, accusatio, defensio, excusatio, negotii gestio. Iam igitur epistola Mandatoria est, qua cuipiam negotium expediendum datur.

Enthymemata.

I. Aliquid effectum uolo. Cum autem in eius diligenti confectione magnum momentum situm sit : Hinc mando. II. Aliquid mandatum est. Cum autem ad illud faciendum obligatus sim : Diligenter curabo. III Aliquid mandatum est. Cum autem illud expedire nequeam; Hinc recuso.

Dispo-

Dispositiones.

I.

Exordium petitur uel a scribentis fiducia: uel ab alterius erga nos fide, officio, obsequio.

Antecedens negotium perficiendum exponit.

Connexio ostendit, aliquid esse facile, uel certe fieri posse. Idque ut pateat, modus debet addi, quo aliquid fieri, aut facile fieri possit. Saepe item ipsa rei honestas, ac necessitas urgenda. Nonnunquam et ostendendum, quid exinde honoris, aut utilitatis ad mandantem redire possit.

Consequens negotium expediri iubet.

Epilogus constat negotii, sine mora, diligenterque conficiendi praeceptione; item beneuolentiae, aut officii mutui promissione.

II.

Exordium habet narratiunculam redditarum literarum.

Antecedens argumentum earum repetit.

Connexio partim earundem rationes leuiter attingit; partim aequitatem, et honestatem mandati ostendit, iuxta et dicit, scribentem ad conficiendum negotium alteri teneri.

Consequens adeo promittit, illum hoc esse expediturum.

Epilogus spem facit eius certo, accurateque expediendi, simulque scribentem beneuolentiae alterius commendat.

III.

Exordium habet nunciationem redditarum literarum.

Antecedens mandatum repetit.

Connexio partim a mandati necesſitate, aut noſtro illud implendi officio: partim ab eiusdem implendi difficultate.

Conſequens eiusdem illius expeditionem declinat.

Epilogus promptitudinem in rebus aliis alteri obſequendi confirmat; pariter atque ipſius gratiae, aut beneuolentiae ſcriptorem commendat.

Exempla.

I.

Pro mea in te fiducia aliquid tibi iniungo. Negotium perneceſſarium expediendum eſt. Nam - - - In quo negotio recte gerendo quo plus momenti ſitum eſt, eo magis, ut fidem tuam comprobes, uelim. Nihil hoc officio gratius mihi feceris. Immo uero eodem tibi ualde me obſtrinxeris. Quod adeo ut facias, quam maxime uolo, ac poſtulo. Id agam uicisſim, ut ne te unquam poenitere poſſit, feciſſe, quod perſonam deceat tuam.

II.

Reddita mihi eſt tua epiſtola, in qua iuſſa tua legi. Imperas, ut --- Quod negótium ut recte curem, ſeduloque conficiam, praeterquam quod tu, praeterea multa alia iubent. Imperat meum, quod tibi debeo officium: imperat negotii grauitas, quod expedire iubeor: imperat tua erga me beneuolentia ſingularis. Quibus de cauſis mandatum tuum diligenter curabo.

bo. Expediam, quod iubes, quantaque poteſt fide, et quam citiſſime fieri poteſt, expediam. Hoc itaque cum facturus ſim, ſpero, porro apud te gratioſum fore

tuum.

III.

Literas tuas, in iisque iuſſa tua accepi. Imperas, ut ---- Quod ut fiat, quo magis ſiue res ipſa, ſiue officium meum poſtulat; hoc uehementius, quod a me expediri nequeat, doleo. Quantumque animo angor, tantopere a te peto, ne mihi indigneris, qui imperata non faciam. Sicut autem, quoties facultatem res habitura eſt, promptiſſime uoluntati tuae faciam ſatis: ita etiam atque etiam a te peto, ut nihil immutato beneuolentiae genere complectare

tuum.

CAPVT VI,
DE
EPISTOLIS DANTIBVS NEGOTIVM.

Haec epiſtola genere orationis morato, et conditione perſonarum a Mandatoria diſcordat. In Mandantibus enim literis imperio, et iure quodam noſtro utimur, quod in aliquem habemus: contra in Dantibus negotium rogamus potius, quam mandamus, cum nullum nobis mandandi ius ſit in eum, cui negotium commendamus. Reſponſio autem, ut iamdum in praecedente capite monitum fuit, eſt qua-

quadruplex. Duae enim responsiones statim reddi possunt, quarum una sit annuens, altera abnuens: ceterae post negotium gestum. Id si feliciter expeditum fuerit, responsio laeta; sin male gestum, tristis scribitur. Materia ceteroquin est eadem, ac epistolae praecedentis. Est adeo epistola Dans negotium, qua cuipiam negotium, nostro nomine gerendum, committitur.

Enthymemata.

I. Negotium expediendum est. Cum autem facile expediri posfit; Rogo, ut conficias. II. Negotium mihi datum est. Quia uero illud expedire teneor; Eo expediam. III. Negotium datum est. Cum autem conficere nequeam; Ideo modeste recuso. IV. Negotium ex sententia confectum est. Cum autem meum fuerit hoc renunciare; Hinc te certiorem faciendum duxi. V. Res infeliciter succesfit. Cum autem officii mei fuerit renunciare; Ideo renunciandum duxi.

Dispositiones.

I.

Exordium a laude beneuolentiae alterius.

Antecedens negotium in apricum profert.

Connexio petitur a rei efficiendae necessitate, utilitate, facilitate.

Consequens negotium aut confici, aut suscipi petit.

Epilo-

Epilogus promittit officii, aut beneficii memoriam, animumue gratum.

II.

Exordium humanitatem alterius collaudat.

Antecedens negotii, nobis dati, mentionem facit.

Connexio partim rationes, ab altero adductas, approbat; partim dicit, nos ipsi esse obligatos, adeo, ut non tam precibus, quam mandato opus fuisse uideatur.

Consequens negotii confectionem, aut susceptionem pollicetur.

Epilogus spem eius certo expediendi facit, iuxta et nos beneuolentiae alterius commendat.

III.

Exordium ab indicio beneuolentiae, quod ex dato nobis negotio capere licuerit.

Antecedens negotii dati mentionem iniicit.

Connexio partim petitur ab aequo, quippe quod exigat, ut amico gratificemur: partim ab impossibili, quod id ipsum facere nequeamus.

Consequens negotii gestionem hinc deprecatur.

Epilogus a spe, fore, ut nos ueniam impetremus; iuxta et promissione officii futuri frequentioris.

IV.

Exordium ab alterius beneuolentia erga nos: aut a narratione acceptarum literarum: aut a recordatione nostrae promissionis, nos alterum de negotio confecto certiorem facturos esse.

Antecedens rem feliciter gestam, negotiumue, ex animi sententia expeditum, exponit.

Con-

Connexio petitur a neceſſario, et iucundo, dicitque, alterius interfuiſſe, eique iucundum esſe, certiorem a nobis fieri de re geſta.

Conſequens dicit: Hinc non fuiſſe intermittendum, quin certiorem eundem faceremus.

Epilogus ſtudia noſtra, et officia ulteriora promittit.

V.

Exordium a uoto ſcriptionis laetioris.

Antecedens, rem infeliciter geſtam, negotiumue parum ex uoto confectum eſſe, exponit.

Connexio dicit: Tametſi, hunc nuncium alteri ingratum fore, facile intellexerimus: tamen noſtri fuiſſe officii, ut eum perferre non intermitteremus.

Conſequens: Idcirco nec nos illud intermittere uoluiſſe.

Epilogus optat feliciorem negotiorum aliorum, nobis dandorum, expeditionem; iuxta atque ſtudia, et officia ulteriora offert.

Exempla.

I.

Fretus beneuolentia tua in me ſingulari aliquid negotii faceſſam. Eſt enim, quod opera tua expediri uehementer uelim. Nam - - - - Quam rem cum tu quidem rectisſime expedire poſſe uidearis, integrum mihi putaui eam tibi tradere, et de meliore nota commendare. Te enim mei ſemper ſtudioſisſimum fuiſſe, niſi profitear, ſim in te oppido iniurius. Nec uero maius in me officium contuleris, quam ſi ea in

parte

parte non defueris. Quam adeo beneuolentiam uti mihi naues, maxime a te peto, summeque contendo. Elaborabo uicissim, ea omnia ut praestem, si qua uel tibi grata esse potuerint, uel proficisci

a tuo.

II.

Quod mihi dedisti negotium, exinde beneuolentiam in me tuam singularem perspicio. Vis autem ---- Quod negotium quo facilius explicare possum, hoc gaudeo uehementius. Multum enim tibi debeo: ad omnia tibi praestanda me obstrictum sentio. Si uel iura humanitatis, quibus alii aliis tenemur, hoc exigunt, quanto aequius est, ut uoluntati tuae satisfaciam, si plura sint alia, quae eo impellant. Quae cum ita sint, noli dubitare, quin facturus sim, quod iniunxisti. Quin etiam, si plura alia praestare tibi potuero, nihil eorum unquam intermittam

tuus.

III.

Quod aliquid mihi mandasti, ex eo satis intellexi, te bonam spem habere de mea erga te uoluntate. Desideras autem a me, ut ---- Atque utinam desiderio tuo respondere possem! Vt mei esset officii id facere: ita impietatis facere id nolle. Volo sane satisfacere: cur autem non faciam, nulla alia est causa, quam quod nequeam. Atque eam ipsam ob causam ut tibi me excusatum habere uelis, quam maxime abs te peto.

Quam

Quam ueniam ſicut abs te ſpero me impetraturum fore: ita, ſi in futurum tempus grata praeſtare obſequia potuero, caue putes, ulla me omiſſurum,

tuum.

IV.

Quam libenter negotium tuum ſuſcepi, tam prompte ſum executus. Studui uoluntati tuae ſatisfacere, et fortuna conatui reſpondit. Quod ſcire cum tibi pergratum fore exiſtimarim, non putaui intermittendum, quin te certiorem facerem - - - - Ceterum, cum euentus uoto reſponderit, non pigebit plura mihi iniungere, in quibus perficiendis in poſterum elaborem. Quod ut facias, uehementer a te peto

tuus.

V.

Si tam fortuna conatui meo reſpondiſſet, quam ego uoluntati tuae ſatisfacere laboraui, non dubitarem, quin abunde ſatisfeciſſim. Nunc autem, ubi fortuna conatum deſtituit, quam doleo, malum me afferre nuncium, et nunciare cogi - - - Quod tametſi moleſtum erat perſcribere, haud tamen ingratum tibi fore uidebatur illud ex me ſcire. Qua de cauſa ingratum potius afferre nuncium, quam dubium te, pendentemque animi relinquere uolui. Peto autem nunc abs te, ut, cum euentum nemo praeſtare teneatur, infauſtum negotii ſucceſſum ne mihi aſſignes. Si gratiora deinceps officia tibi

tibi praeſtare potuero, fac ſciam, quibus in rebus fortunam periclitari debeam.

CAPVT VII,

DE

EPISTOLIS OBSEQVIOSIS.

Nouum hoc epiſtolae genus eſt, perinde ut plures epiſtolae aliae, et locum omnino proprium meretur. Eſt enimuero quam arctisſime connexum cum Mandatoriis, aut negotium Dantibus, adeo, ut ſine harum alterutris ne locum quidem habere queat. Tres autem perſonae hic requiruntur: mandans, aut negotium dans; mandatarius, et ille denique, apud quem negotium expeditur. Sint: Caius, Titius, Sempronius. Caius dederit Titio negotium: Titius autem, negotio eo ſuſcepto, Caii nomine ſcribat ad Sempronium: habes epiſtolam Obſequioſam. Poſtea Sempronius reſpondeat Titio, ſiue promittendo, ſiue ſeſe excuſando: habes reſponſiones duas. Eſt adeo epiſtola Obſequioſa, qua datum nobis negotium literis expedimus.

Enthymemata.

I. Negotium datum eſt. Cum autem illud ſuſceperim. Hinc expedio. II. Datum negotium expediiſti. Cum autem mandanti ſim obſtrictus; Igitur uoluntati eius ſatisfacio. III. Expediiſti negotium. Cum autem mandanti ſatisfacere nequeam; Excuſari uolo.

Dispositiones.

I.

Exordium petit ſcriptionis ueniam.

Antecedens complectitur narratiunculam dati nobis ab aliquo negotii.

Connexio rationes adiungit ab honeſto, neceſſario, utili, iucundo, glorioſo, opportuno.

Conſequens negotium expedit.

Epilogus nomine mandantis, aut negotium dantis, ſtudia, officia, ſervitia promittit: ut et ipſius mandatarii officia, aut obſequia.

II.

Exordium nunciat, literas eſſe redditas.

Antecedens earum argumentum breuiter repetit.

Connexio aequitatem negotii confirmat, honeſtumque eſſe dicit amico gratificari.

Conſequens mandatario promittit, fore, ut mandantis, aut dantis negotium uoluntati ſatisfiat.

Epilogus ſcribentem mandatarii, iuxta et mandantis fauori commendat: ut et utrique prompta ſcribentis ſtudia, atque officia pollicetur.

III.

Exordium ſimiliter refert, literas eſſe redditas.

Antecedens argumentum earundem pariter repetit.

Connexio rationes, a mandatario allatas, approbat, perinde ut ſcribentem mandanti ad ſatisfaciendum teneri quidem aſſerit; ueruntamen cauſa quapiam impediri, quo minus eidem ſatisfacere poſſit. Con-

Consequens mandatario dat negotium, ut rem eam mandanti significet, pariter et scribentem excuset.

Epilogus asseuerat, hunc daturum esse operam, ut primo quoque tempore gratificetur; et interim mandatarii, pariter et mandantis beneuolentiae eundem diligenter commendat: item utrique studia, et officia paratissima spondet, ac promittit.

Exempla.

I.

Si tuis forte ingratiis negotia tua interrumpo, culpam, quaeso, in Caium congere. Is enim dedit mihi hoc negotii, ut tibi significarem --- Cui cur officium meum denegarem, cum causa esset nulla, ipsi satisfaciendum duxi. Existimat autem, magni sua referre, ut id, quod expetit, consequatur. Quo magis igitur tibi eum obstringere poteris, eo uehementius te rogare debeo, ut satis ipsi facere, operamque nauare uelis, ut is intelligat, literas meas apud te magnum pondus habuisse. Omnia uicissim faciet sedulo, quae et animum eius in gratiam pronum coarguant, et tibi grata sint, ac iucunda. Ego item, si qua in re tibi obsequium meum probare potuero, faciam id libens.

II.

Sicut nulla abs te admissa culpa est: ita nec est, quod eam in Caium conferri uelis. Vt enim humanitatis est mutuis certare officiis: sic recte fecisti, quod amici negotium suscepisti.

Vult hic, uehementerque cupit ---- Quod ipsi officium quo iure negare possim, nequicquam uideo. Quo aequius itaque ille per te egit, hoc uiderer in eum iniquior, nisi uoluntati eiusdem satisfacerem. Hoc itaque faciam; idque tam libenti animo, quam iuste is postulat. Quod ut ipsi ostendas, mihi autem bene faueas, maximopere a te peto.

III.

Adeo literae tuae non ingratae mihi fuerunt, ut fuerint gratissimae. Illud enim perscribis, quod iure denegare amico non poteras. Neque magis hic ipse meritus est, ut ei succenseam, cum ipsi multum potius me debere intelligam. Sed, quantum huic debeo, tantum doleo, usque adeo me hoc tempore infaustum esse, ut eius uoluntati satisfacere nequeam. Quapropter, ut me Caio, quam potueris diligentissime, excusare uelis, etiam atque etiam a te peto. Ceterum quo minus nunc officium meum possum facere, eo magis id studebo deinde, ut alias gratificari uidear. Quod ut illi renuncies, eaque re tuam mihi beneuolentiam confirmes, quam maxime a te peto.

CAPVT IIX,

De

EPISTOLIS OFFICIOSIS.

Existunt, quos aliquid rogare pudet, utut ope, et auxilio egeant. His itaque, etiamsi nihil petant, aliquan-

aliquando operam noſtram ultro offerimus, et ad hanc poſtulandam eosdem prouocamus. Quas adeo literas Officioſas Erasmus Roterodamus *uocandas iudicauit. In hiſce autem uel generatim officium offerimus; uel ſpeciatim. Si prius accidit, aguntur offerenti gratiae: ſin poſterius, tunc officium aut accipitur, aut recuſatur, aut ſpatium deliberandi petitur. Inde ſex utique ſpecies epiſtolae Officioſae emergunt: duae liberae, et quatuor reſponſoriae. Materia erit beneficium, aut officium quodcunque, exempli cauſa, gradus dignitatis, munus publicum, auxilium, conſiliumue. Epiſtola adeo Officioſa eſt, qua alicui, conſilii, aut auxilii noſtri indigenti, operam, ſtudiumue noſtrum altro offerimus.*

Enthymemata.

I. Inſeruire cupio. Cum autem officium praeſtare poſſim; Igitur offero. II. Commodare uolo. Cum autem offeratur inſeruiendi occaſio; Hinc officium meum defero. III. Obtuliſti officium. Cum autem beneuolentiam in me tuam exinde perſpexerim; Magnas ago gratias. IV. Obtuliſti officium. Cum autem eo nihil optabilius eſſe poſſit; Idcirco animo libenti accipio. Obtuliſti beneficium. Cum autem illud accipere nequeam; Tibi me excuſo. VI. Obtuliſti beneficium. Cum autem neſciam, utrum poſſim accipere; Peto ſpatium deliberandi.

Dispositiones.

I.

Exordium uel a beneuolentiae nostrae erga alterum significatione : uel ab intermissionis officiorum excusatione, et culpae in defectum facultatis, aut occasionis inseruiendi translatione.

Antecedens desiderium alteri commodandi explicat.

Connexio ab honesto, quo pertinent uirtutes alterius, et merita, et adiuncta alia, ut morum amabilitas, similitudo studiorum, uitae coniunctio, amicitia : item ab utili, quo spectant beneficia, accepta siue ab altero, siue ab eius parentibus, et collata siue in nos, seu in nostros.

Consequens officia, studiaque nostra offert.

Epilogus exhortatur ad postulandum id, quicquid scribens praestare possit ; ut et promptitudinis inseruiendi oblationem repetit.

II.

Exordium ab amore scribentis erga alterum.

Antecedens cupiditatem inseruiendi memorat, pariter et dicit, occasionem, qua illa probari possit, oblatam esse.

Connexio uirtutum, et meritorum alterius mentionem facit : aut affirmat, quantum scribens ei sit obstrictus.

Consequens offert beneuolentiae documentum, petitque, ut alter illud accipiat.

Epilogus facultatem, et occasiones scribenti apprecatur alteri multo et gratiora, et meliora offi-

cia

cia praestandi: ut et perpetuam inseruiendi promptitudinem confirmat.

III.

Exordium a gaudio, ex alterius literis percepto, peti potest.

Antecedens reddit literarum alterius argumentum, nempe oblationem officiorum.

Connexio a magnitudine beneuolentiae, eo nomine declaratae, pariter et effectu, nempe obligatione scribentis.

Consequens gratias agit, et occasionem, modosque iuuandi modestiae causa exprimere recusat.

Epilogus expetit fauoris perpetuitatem, offert obsequia, nuncupat uota.

IV.

Exordium peti potest a loco communi, eam esse excellentium hominum indolem, et naturam, ut alios libenter iuuent: aut alterius erga scribentem beneuolentiam praedicat.

Antecedens oblatum illius documentum laudat.

Connexio huiusce magnitudinem ostendit, multumque ideo nos alteri deuinctos esse, asseuerat, eo magis, quo minus tantam beneuolentiam meruisse uideamur.

Consequens pro oblato beneficio gratias agit summas, et immortales.

Epilogus animi grati studium promittit, iuxta ac uota, Deo pro alterius incolumitate, et felicitate nuncupanda, pollicetur.

V.

Exordium magnitudinem beneuolentiae alterius collaudat.

Antecedens eam per documentum, nobis oblatum, confirmat.

Connexio I hoc ipſum exaggerat: II ſcribentem eo nomine plurimum alteri obſtrictum eſſe, commemorat: III cauſas allegat, cur ſcribens illud accipere nequeat.

Conſequens pro uoluntate commodandi, et ſtudio tam egregio gratias maximas perſoluit, perinde ac petit, ne alter beneficii recuſationem animo iniquo ferat.

Epilogus gratiam, et pertinacem beneuolentiae erga nos memoriam pollicetur.

VI.

Exordium ſignificat, nos literas, ad nos datas, accepiſſe.

Antecedens meminerit, beneuolentiae documentum nobis oblatum eſſe.

Connexio illud exaggerat, quantumque alteri hoc nomine obſtricti eſſe uideamur, declarat. Deinde cauſas affert, quamobrem adhuc neſciamus, an idem illud accipere posſimus.

Conſequens propterea ueniam orat, et alteri pro ſtudio nos iuuandi gratias ſingulares agit, ut et ſpatium deliberandi expetit.

Epilogus animum promittit gratum, pariterque rogat, ut alter beneuolentiam ſuam nobis ſanctam, illibatamque ſeruet.

Exem-

Exempla.

I.

Quantopere hactenus tua causa dolui, tantopere nunc laetor. Tibi enim, si cuiquam, bene esse cupio. Atque eo magis, quo magis debere uideor. Si quisquam enim alius, tu profecto id mereris. Quae autem facultas defuit hactenus, eam hoc tempore nactus uideor. Ac sicut uoluntas illam merito comitatur: ita opto occasiones tibi inseruiendi: quibus oblatis nullum tibi officium meum recusabo. Quare fac, ut eas uel ipse mihi ostendas. Ego omnia, quae tibi utilia esse intellexero, omni tempore summo studio, diligentissimeque sum facturus.

II.

Quantum te diligo, tantum cupio dare amoris in te mei documenta. Quapropter gaudeo, occasionem mihi datam esse rebus tuis prospiciendi. Quam ut ad salutem tuam, et commodum conuersam uelim, merita me tua impellunt. Quae quanta mihi uidentur, tantis praemiis compensari uelim. Quorum si quid fortuna hoc tempore uidetur ostendere, officium tibi meum non erit defuturum. Id si placeat, mihi gratulabor: sin minus, precabor Deum, ut meliorem tibi fortunam largiatur, et quae uel uirtuti tuae respondeat, uel uoto tui.

III.

Ea est animarum excellentium indoles, uti natas sese ad iuuandos homines arbitrentur. Id uero tuis ostendisti literis, quibus tuam mihi inseruiendi uoluntatem declarasti. Quod quemadmodum permagnum beneuolentiae in me tuae argumentum est: ita tibi me profiteor ualde obligatum. Quo minus autem talem tuum erga me animum sum meritus, hoc maiores me necesse est tibi agere, et habere gratias. Ceterum sicut modestia mea alienum duco aperire occasiones commodandi: sic ueniam peto, quod indicare nolim.

IV.

Quas accepi literas, a beneuolentia erga me tua singulari profectas puto. Hac incitatus insigne mihi beneficium defers. Quod quanto minus sum promeritus, tanto uehementius tibi propter id obligatus. Quare, cum tantum tibi debeam, quantum nequeam persoluere, maiorem in modum te rogo, ut interea tibi me gratias egisse sinas sufficere, donec referre possim. Quanquam tanto tuo in me beneficio nunquam respondere posse uidear. Quidquid huius rei sit, non ullo committam tempore, ut ingratus esse uidear, aut immemor, aut qui nesciat beneficia tua recte aestimare.

V.

Cum non parum me diligas, tum non leue beneuolentiae in me tuae documentum dedisti. Ecquod enim clarius testimonium dare poteras,

ras, quam illud mihi offerre, quod magnopere me bearet. Sed tametsi nonnulla sunt, quae rei illius acceptionem suadere queant: tamen sunt etiam, quae dissuadeant, eademque numero plura. Atque haec me, etsi inuitum, eo adducunt, ut oblatum mihi beneuolentiae genus, qua par est modestia, recusatum uelim. Sed tamen, perinde ac si accepissem, tibi me obstrictum puto. Peto autem a te uehementer, ut tibi sufficere patiaris, me gratias agere, quoad referre potuero. Atque utinam propediem dies ille ueniat, quo ostendam, non ingratum me esse, sed beneficia pro eo, ut par est, prosequi, et aestimare!

VI.

Quae est excellentium animarum indoles, ut sese natas putent ad iuuandum, eam literae tuae praetulerunt. Id enim mihi offers, quod animum ad auxiliandum pronum coarguit. Tantum uero illud est, ut ducerem me beatum, si quidem euenire mihi posset. At quantum doleo uix posse? Quanquam enim sunt multa, quae, ut obsequar, suadeant, plura tamen, quae deterreant. Dissuadet inter alia ---- Haec itaque cum ita sint, pendeo animi, nec satis scio, quid facto opus. Quare id superest, ut spatium cogitandi mihi concedatur. Vtcunque res ceciderit, ita Deum ordinasse existimabo. Tibi autem sicut insigni beneuolentiae in me tuae documento non uulgarem in modum agnosco me obstrictum: ita gratias tantisper ago,

ago, dum referre possim, si tamen unquam potuero

tuus.

CAPVT IX,

DE EPISTOLIS CIVILIBVS.

NOmine epistolarum Ciuilium non eas hoc loco intelligimus, quae res ciuiles perscribunt; sed, quae moratas. Quae notio non minus, atque prior, usitata, ac recepta est: exempli causa, cum sermones dicuntur ciuiles. Debet quidem omnis oratio τὸ πρέπον custodire: at haec nostra non tantummodo decorum tenet; sed etiam tota praeterea est morata. Speciatim autem illum exprimit morem in solidum, qui nomen a ciuilitate cepit. Est iam epistola Ciuilis, qua aliquis alterius beneuolentiam sibi seruari petit.

Enthymemata.

I. Es beneuolus. Cum autem exinde magnum fructum capiam; Hinc beneuolentiam continuari peto. II. Rogas continuationem beneuolentiae. Cum autem amor amorem mutuum mereatur; Perpetua te beneuolentia complectar.

Dispositiones.

I.

Exordium petitur a beneuolentia alterius erga nos.

Ante-

Antecedens a desiderio illius in perpetuum fruendae.

Connexio ab utilitate, quae ex ea capiatur: a gloria, atque honore eo, qui ex uirorum laudatorum beneuolentia redundet in dilectos.

Consequens habet eius continuandae petitionem.

Epilogus promissionem beneuolentiae mutuae, aut obseruantiae, cultus, obsequii, seruitii. Potest etiam pro re nata locus uoto esse.

II.

Exordium, literas nobis redditas esse, nunciat.

Antecedens argumentum repetit, hoc est, beneuolentiae nostrae, alteri seruandae, petitionem.

Connexio petitur ab honesto, pariter ac aequo, diciturque, et mereri uirtutes alterius, ut constanti ipsum amore; et amorem erga nos singularem, ut amore mutuo complectamur.

Consequens adeo beneuolentiae nostrae perpetuitatem promittit.

Epilogus petit uicissim, ut alterius in nos amor sartus, tectusque nobis conseruetur.

Exempla.

I.

Qua me beneuolentia adhuc complexus es, ei literas hasce condonabis. Neque uero alia scriptionis causa fuit, quam beneuolentiae semper mansurae cupiditas, ac desiderium. Qua quod nihil unquam sincerius, fideliusque sensi, eo diutius eadem frui exopto. Quanquam uero non dubito, quin tua sponte id facturus sis: tamen magis

magis ex consuetudine, quam quod ita fieri necesse sit, in maiorem modum te rogo, ut in tua erga me uoluntate permanere uelis. Quo sicut nihil mihi optabilius accidere poterit: sic beatus ero, si porro complectare

tuum.

II.

Quanto aequius, tanto mihi gratius tuum fuit desiderium. Eo id pertinet, ut perpetua te beneuolentia comprehendam. Qua de re ut, uel non factus a me certior, minime dubitare poteras: ita superuacaneum uidebatur uel te uelle certiorem a me fieri; uel me uelle te facere certiorem. Quam enim iniquum esset non complecti, qui ea suscipiat, et agat, quae amoris constantiam promereantur? Quam porro inhumanum non semper in amore responderе ei, qui constanter amet? Quare poteras de assiduitate meae erga te beneuolentiae singularis uel per te certus esse. Sed tamen quia nihilominus certior fieri a me cupis, recipio tibi, spondeoque, amoris in te mei eundem, quem uitae, futurum esse finem. Quod sicut bona fide polliceor: ita rogo uicissim, ut pari constantia diligas

tuum.

CAPVT X,
De
EPISTOLIS INANIBVS.

Quo quidem nomine non illae nobis censentur, quae sunt breuissimae, multisque mancae partibus:

tibus : sed quae nullius sunt argumenti. Dicas : id quidem fieri non posse. Immo uero dabitur opera, ut intelligas, posse fieri. Dabimus enim Enthymemata : dabimus partes omnes. Est enim epistola Inanis non illa, quae breuis est : sed quae sine potiore argumento scribitur. Itaque male inter Inanes ponitur illa Ciceronis *breuissima, quae est decima quinta* L. VI ad fam.

CICERO BASILIO
S. D.

Tibi gratulor : mihi gaudeo : te amo : tua tueor : a te amari, et, quid agas, quidue istic agatur, certior fieri uolo. *Tantum abest, ut haec sit inanis, ut multiplicis potius argumenti. Nam et Gratulatoria est, et Ciuilis, et Familiaris, et Nunciatoria. Cuiusmodi sunt et complures, eaedemque continuae,* Angeli Politiani, in Virorum Illustrium Epistolis. *Sunt autem, in* L. VII, ep. 16, 17, 18, 19, 20, 21, 22, 23, 24, 25, 26, 27, 28, 29, 30. *Hae pariter ad unam omnes et breuissimae sunt, et uarii, multiplicisque argumenti. Adscribemus penultimam.*

ANGELVS POLITIANVS
AMICO
S. D.

Dolui uehementer : laetatus sum uehementer : quod aegrotasti : quod et conualuisti.

Quae epistola partim est Familiaris nunciatoria; partim Gratulatoria. Id quod ex duplici Enthymemate

memate Fundamentali, quod complectitur, displescit. Vnum est : Aegrotasti ; Ergo dolui. *Alterum :* Conualuisti ; Ergo gratulor. *Constat proinde, hanc epistolam non modo non inanem esse ; sed etiam mixtam. Huiusmodi autem literae non sunt huius loci.*

Enthymemata.

I. Nihil fuit scriptione dignum. Cum tamen nihil scriptione sit iucundius, praetereaque nouis literis amor uetus conseruetur ; Hinc malui inanes potius, quam nullas literas scribere. II. Accepi literas tuas. In quibus cum amorem in me tuum declaraueris ; Igitur rescribere uolui.

Dispositiones.

I.

Exordium conqueritur, quod amicus diu nihil scripserit : aut scribentem de silentio diuturno excusat.

Antecedens commemorat, neque quicquam fuisse scriptione dignum, nec etiamuum esse.

Connexio exponit, incredibilem parere uoluptatem scribere amico : aut, occasionem scribendi fuisse oblatam : aut, amorem ueterem nouis literis conseruari.

Consequens dicit : Ideo scribentem inanes potius, quam nullas literas dare uoluisse.

Epilogus amicum ad rescribendum exhortatur.

II. Ex-

II.

Exordium refert,literas eſſe redditas: aut, non deeſſe quod ſcribamus.

Antecedens dicit: Amicum dediſſe literas minime inanes.

Connexio affirmat, alterius erga nos amorem iisdem nobis declaratum fuiſſe.

Conſequens oſtendit, eam ob cauſam nos alteri reſcribere debuiſſe.

Epilogus conſtantem petit beneuolentiam, eiuſdemque frequentia pignora, id eſt, literas crebriores.

Exempla.

I.

Quod diu nihil eſſet, quod ſcriberem, ideo nihil ſcripſi. Ac nequedum quidem habeo, quod perſcribam. Si quid eſſet, longiores a me literas acciperes. Quid enim iucundius, quam per literas loqui cum amico? quid porro utilius? Nouis enim literis, ut ille inquit, amor uetus renouatur. Cum itaque amorem in me tuum mihi perpetuum eſſe uelim, malui inanes potius, quam nullas literas ad te dare. Tu tamen minime inanes dabis, ſi quas dabis. Eo enim ipſo, quod dabis, amorem in me tuum declarabis

tuo.

II.

Quod ad me ſcripſiſti, pergratum fuit. Minime autem literas dediſti inanes. Tantum abeſt, ut

Q tales

tales dederis, ut potius amoris in me tui singularis plenas. Cuius sicut nequaquam uacuae fuerunt, ita minime inanes a me postularunt. Habe itaque has mutui amoris interpretes. Quem ut nunquam non sartum, tectumque tibi seruabo, ita fac, ut porro, uel literis inanibus, magis magisque foueas, incendas, alas. Ego nunquam intermittam respondere cum amori in me tuo, tum literis tuis.

PARS QVINTA, DE EPISTOLIS GENERIS DIDASCALICI.

I.

GEnus Didascalicum, quod et Doctrinale salutatur, est, in quo docemus. Huc itaque pertinent epistolae doctae. Nam hae et inter doctos ualent, et erudita complectuntur. Vt autem artium liberalium studia dispesci solent: ita et illae possunt. Itaque aliae sunt Theologicae, aliae Iuridicae, aliae Medicae, aliae Historicae, aliae Philologicae, aliae Philosophicae, aliae Disputatoriae.

II. *Dispositio ordinem partium uulgarem tenet, neque ab eo recedit, nisi in Confirmatione. Nam Exordium, si opus, praemittitur, quod Propositio, Con-*

Confirmatio, et Epilogus excipiunt. Sed tamen Propositionis Antecedens praestruitur. Exordium siue ἦθος, siue πάθος aliquod continebit: ut si aut beneuolentia alterius, aut eruditio, humanitas ue collaudetur; aut scriptionis uenia petatur. Antecedens sistet causam προκαταρκτικὴν, quae esse poterit uel petitio amici; uel promissio scriptoris; uel controuersiae, iam antea tractatae, repetitio; uel spontanea controuersiae propositio, eo fine facta, ut sententiam amici exploremus. Consequens, siue Propositio, aut petitionem habet, ut monita beneuole accipiantur; aut excusationem audaciae, aut rogationem sententiae. Epilogus pariter, ut Exordium, siue πάθος, siue ἦθος comprehendit.

III. *At longe plurimum negotii tractatio facessit. Nam, pro modo thematis, est alia, atque alia. Thema autem aliud totale est, aliud partiale. Illud disciplinam uniuersam exhaurit: hoc disciplinae partem. Quod ipsum uicissim uel simplex est, uel compositum, siue integra enunciatio. Thema simplex hoc modo tractatur, ut sententiae sumantur a Notatione, Definitione, Genere, Speciebus, et Partibus, Caussis, Adiunctis, Effectis, Oppositis. Atque perspicuum epistolae huiuscemodi exemplum de ipsa epistola suppeditauit* Melchior Iunius, *in* Scholis Rhetoricis de contexendarum epistolarum ratione.

IV. *Thema compositum aut simpliciter pertractatur, aut in utramque partem uentilatur. Si illud fit, tunc post quaestionem ponitur sententia siue affirmata, seu negata, quae argumentis postea constabilitur:*

bilitur : sin hoc, tunc primo sententia scriptoris ponitur, et confirmatur : deinde sententia aduersa subiectis rationibus infirmatur. Saepe tamen etiam argumenta aduersae sententiae simul confutantur. Quod ubi accidit, tripartita est tractatio, ac pars prima est κατασκευαστική, *sententiam propriam confirmans : altera* ἐλεγκτική, *sententiam oppositam refutans : tertia denique* ἀνασκευαστική, *argumenta aduersarii resoluens.*

V. *Ceterum tractatio omnis siue Thematis simplicis, siue coniuncti, nihil omnino differt a methodo illa, qua disputationes conscribi solent. Exemplum Thematis compositi, simpliciter quidem tractati, fuerit, exempli causa, hoc : An mundus sit aeternus ? si quidem hoc Thema, subiectis rationibus, tantummodo siue confirmetur, siue conuellatur. Item : An Curtius ad eloquentiam Romanam tendentibus possit sufficere ? Quam quidem quaestionem luculenter tractatam uide apud* Augustum Buchnerum, Part. II, ep. 32. *Thematis autem compositi, dupliciter tractati, exemplum potest esse hoc : Vtrum heres ante aditionem eius hereditatis, ex qua furtum fuisset factum, possit furti illum accusare, qui furtum istud commiserit ? Vide* Cicero epp. ad fam. L. VII, ep. 22. *Item illud, quod idem tractat* Cicero L. IX, ep. 21, *ubi cum* Papirio Paeto *disputat, an recte uerbo obscoeno usus sit; existimatque, quod res turpes uocabulis tectis, ac uerecundis appellandae sint. Reiicit autem simul, atque damnat sententiam Stoicorum, utpote qui putent, nihil per se obscoenum esse, et contendant, suo rem unamquamque nomine appellandam*

dam

dam esse. Vide eiusdem Ciceronis Topica *in extremo*, et Partitiones Orator. *in medio*.

VI. *Epistolae, in quibus in utramque partem disseritur, uno uerbo Disputatoriae appellantur: reliquae nomen Didascalicarum seruant. Philologicae autem nonnunquam etiam Criticae audiunt. Denique ex Philosophicis illae, quae de argumento ciuili, et pragmatico conficiuntur, caput quasi altius efferunt, maioremque adeo, quam ceterae, curam, ac nitidiorem compositionem requirunt. De responsione sciendum, pro ratione personarum esse uel gratiarum actionem, uel refutationem. Illa ita, ut alias; haec eodem modo, quemadmodum epistola libera exaratur.*

VII. *Exempla epistolarum doctarum cur afferamus, causa est nulla. Nulli enim usui futura arbitramur. Nam neque tyronibus, et nondum multa rerum notitia imbutis, ad imitandum sufficient: neque uiris doctis opus erunt. His enim scribere, et praecepta condere, non superuacaneum modo; uerum etiam temerarium, ac uanum. Iidem cum ipsimet per se, in suo quisque genere, atque arte, epistolas eruditas conficiant: tum et alios omnium optime ad easdem faciendas erudiant. Quanquam nulla omnino institutione hac in parte opus esse uideatur. Huiusmodi enim literas res ipsa docet uiros, multarum rerum scientia insignes. Neque illae ab aliis, praeterquam a talibus exiguntur.*

IIX. *Quod si quis tamen omnino exempla huiusmodi uidere, et cognoscere desideret, ei ad extremum scriptores eorundem commendasse satis sit, quo-*

rum plerosque appellauit, studioseque, et diligenter collegit Daniel Georgius Morhofius, libello de ratione conscribendarum epistolarum. *In quibus scriptoribus tametsi plerique omnes dissimilem styli formam habent, atque a dictionis puritate saepius recedunt: tamen omnino multum ualent ad comparandam eruditionem, perinde ac prudentiam, ornanteque ad reip. sacrae, ciuilisque negotia accessuros, et pondera afferunt ad uerborum elegantiam, sine quibus uerborum nitor, compositioque luculenta, nec mouet magnopere animos, nec tantopere persuadet.*

APPENDIX I,
De
EPISTOLIS IOCOSIS.

Cum uariae sint epistolarum partitiones: tum illa est praecipua, quae a finium uarietate ducitur, quorum ratione quinque epistolarum genera possunt constitui, de quibus etiam nobis hactenus est expositum. Est uero praeterea alia quaepiam partiendi ratio, quae partim ab officio proprio, partim ab adiunctis orta est, quam M. T. Cicero C. Curioni *his descripsit uerbis.* Epistolarum genera multa esse, non ignoras; sed unum illud certissimum, cuius causa inuenta res ipsa est: ut certiores faceremus absentes, si quid esset, quod eos scire aut nostra, aut ipsorum interesset. Huius generis literas a me profecto non expectas. Tuarum enim rerum domesticarum habes et scriptores, et nuncios. In meis autem rebus nihil

nihil est sane noui. Reliqua sunt epistolarum genera duo, quae me magnopere delectant: unum familiare, et iocosum, alterum seuerum, et graue. *Hoc uult dicere: Tria esse epistolarum genera: unum Nunciatorium, aliud Iocosum, tertium Graue. Ex quibus primum iamdum satis tractatum, interque formas generis Familiaris relatum est. At reliqua duo genera Ciceroniana locis certis figi nequeunt. Per omnes enim diuagantur epistolarum formas, easdemque aliter, atque aliter afficiunt. Sunt enim in his, quae solam dictionis grauitatem postulant, cuiusmodi sunt omnes generis Iudicialis literae, nisi forte Expostulantem exceperis, et praeterea Excusantem. Has etenim neque lepor dedecet. Tum grauitatem requirunt libelli Supplices, literae Consolantes, Votiuae, Obiurgantes, Querulae, Mandantes. Reliquae, pro modo personarum, et argumenti, utramuis uirtutem tuentur, et nunc styli grauitatem, nunc sales, acumina, facete dicta, et urbanitatem aliquam requirunt. Atque cum de epistolis Iocosis iamdum a nonnullis Rhetoribus actum sit, nos pariter de iisdem uidebimus, non equidem, ut de noua forma: multis enim formis communes sunt, neque ad genera nostra quinque, ut aliqua species, sed ut attributum aliquod pertinent: uerum ut de genere quodam peculiari, neque ad superiora illa, quae a finibus petita esse constat, spectante. Ad tales ceteroquin epistolas ars argutandi pertinet, cuius quidem praecipui fontes sunt hi: Notatio, Ambiguitas, Synonymia, Tropi, inque his praecipue Ironia, Allegoria, Antonomasia; et Figurae, et quidem in primis:*

Metathesis, Oxymoron, Antithetan, Paradoxon, Ploce, Commutatio, Epanodus, Paronomasia, Paregmenon, Antanaclasis, Prouerbium. Quod autem genus istud, nisi inter familiares, non exercetur, idcirco Ciceroni *alio nomine* Familiare *consalutatur. Ceterum hoc ipso, quod nihil habet propriarum rerum, nihilque proprii argumenti, sed multis epistolarum speciebus congruit, quibus urbanum aliquid, ac facetum aspergit, nullae a nobis nec dispositiones generales, nec formulae generales subministrari queunt. Verbo: Non potest nec dispositio aliqua, nec exemplum effingi, quod omnibus casibus, materiisue aptum uideatur. Sed cum tamen frequentius in expostulando occurrant ioci, propterea, exempli causa, epistolam expostulantem, ad iocos accommodatam, afferemus. Acquiescemus autem in Enthymematibus, et Dispositionibus, nihil exemplorum adiecturi, quippe memores, quod artem non iocandi, sed conscribendi epistolas doceamus. Est autem epistola Iocosa, quae sermonis urbanitate amicum delectat.*

Enthymemata.

I. Iocari libet. Cum autem iocari iucundum sit, et licitum; Hinc iocor. II. Iocatus es. Cum autem par pari referre cum liceat, tum delectet; Ideo iocis tuis respondeo.

Dispositiones.

I.

Exordium peti potest uel a beneuolentiae declara-

claratione: uel ab occaſione inſtitutae ſcriptionis: uel a prouerbio communi: uel ab excuſatione noui, et inuſitati generis ſcribendi.

Antecedens poteſt, exempli cauſa, repeti ab admiratione ſilentii diuturni.

Connexio rationes, et ſententias facetas affert, petitas a Notatione alicuius uocis, ab Ambiguitate, ab Ironia, ab Allegoriis: item ab Adiunctis, et Circumſtantiis perſonarum, loci, modi: item a Cauſis: denique a Teſtimoniis, dictisque aliorum acutis, argutisque.

Conſequens amicum per iocum, exempli gratia, ad literas diligentius ſcribendas, adhortatur.

Epilogus peti poteſt a praeciſione: ab excuſatione huiusmodi ſcriptionis: ab amoris perpetui, conſtantisque petitione, pariter ac mutui amoris promiſſione.

II.

Exordium duci poteſt uel a literarum, nobis redditarum, acceptione: uel ab earundem admiratione: uel a gaudii, ac uoluptatis, exinde percepti, narratione.

Antecedens iocorum, ab altero miſſorum, mentionem facit.

Connexio aſſerit, par pari referre aequum eſſe, et uindictam dulcem.

Conſequens iocis iocos reddit, aut acceptos in alterum retorquet.

Epilogus literas promittit crebriores, pariter at-

que ab altero tales petit: praeterea amorem expetit comitem, perinde ac mutuum pollicetur.

APPENDIX II,

De

EPISTOLIS MIXTIS.

Datur et alia epistolae diuidendae ratio. Atque haec materiam intuetur: quae uel una est, uel uaria. Itaque epistola modo unam, simplicemue materiam habet, modo materias plures complectitur. Proinde epistola alia simplex, alia mixta audit. Sunt autem epistolarum mixtarum innumerae, adeo, ut formae omnes reddi nequeant. Ac profecto plura mixtarum, quam simplicium epistolarum exempla cum reperiuntur, tum quotidie scribuntur. Neque tamen difficile est literas mixti generis exarare. Iisdem enim, quibus simplices, praeceptionibus constant. A quibus si qua re omnino differunt, solis transitiuncularum formulis discernuntur: iis quidem, quibus ab argumento uno ad aliud transitur. Nam alioquin et partes literarum simplicium possunt certis transituum formulis connecti. Quanquam in hisce praestat cohaesionem a natura potius, quam ab arte petere. Neque ineptum fuerit, sed nauseam iucunda quadam uarietate impedierit, si in ipsis etiam literis argumenti mixti, omissis transeundi formulis, cohaesio nonnunquam ab re ipsa accersatur. Partibus autem ipsis literae simplices, mix-

mixtaeque, nihil plane inter se distant. Vtut eaetio partes rarissime omnes in epistolis occurrant mixtis, tamen id ipsum ne quidem perpetuo in literis etiam simplicibus fieri assolet. Est tamen paulo neglectior mixtarum dispositio, argumenta probantia pauciora, saepe nulla, ut uix aliquando Fundamentale Enthymema deprehendatur. Summa enim hic lex est breuitas, quae cum omnem epistolam, tum etiam mixtam decet. Quo magis et Exordia, et Conclusiunculas interdum omittere fas erit. Plura non addimus; neque id fieri opus est. Exemplum elegantissimum suppeditauit Erasmus Roterodamus in Opere de conscribendis Epistolis.



LIBER

LIBER TERTIVS,
CONTINENS INDICES EPISTOLARVM M. T. CICERONIS, C. PLINII CAECILII SECVNDI, AVGVSTI BVCHNERI, ET CONRADI SAMVELIS SCHVRZFLEISCHII.

P*Lacuit libro ultimo epistolas quorundam auctorum, in hoc genere praestantissimorum, in indices relatas, exhibere. Cum autem inter ueteres Latinos tantummodo* M. T. Cicero, et C. Plinius Caecilius secundus, *literas ad posteritatem transmiserint, utrosque aptis includere indicibus uisum fuit. Ac* Cicero *quidem omnes dicendi laudes, uirtutesque complectitur, eoque ipso prae ceteris omnibus, immo uel solus imitationis causa legendus est. Post* Ciceronem Plinius Iunior, *neque tamen ubique imitandus, nisi qua formulas loquendi concinnas, sales, argutias. In primis dictio, aeque ac compositio* Ciceronis *consectanda: his adiungendus* Plinii *stylus, et in compositionem* Ciceronis *redigendus.* Plinii *enim stylus non semper est sibi similis:*

milis : periodi interdum concisae nimis : compositio ab antiqua illa, et Tulliana recedens. Sed tamen, quoniam hic scriptor plus neruorum habet, contra Cicero uerborum copia abundat, non immerito flumen illud Tullianum acuminibus, argutaque Plinii *breuitate temperandum quodammodo uidetur. Iam autem priscis hisce scriptoribus subiecimus duorum recentissimorum epistolas Virorum. Quod eo quidem consilio factum est, ut horum exemplo ratio imitandi tanto facilius constare posset. Facilius uiam inuenias, si quis facem praetulerit : facilius antiquos consectere, si qui duces praeiuerint. Eam igitur ob causam nouos cum ueteribus coniungendos, ac utrosque pariter cognoscendos arbitramur : ueteres, ut ipsos imitere; nouos, ut eosdem illos facilius imitari queas. Delegimus autem ex nouis, quorum epistolas, perinde ac* Ciceronis, Plinii*que literas, in indices referremus, inclytum* Augustum Buchnerum, *et Illustrem* Conradum Samuelem Schurzfleischium : *propterea quod dubitaremus, an horum Virorum monumentis quicquam absolutius reperiri posset. Iam ab utroque artem imitandi ueteres : ab altero exquisitam insuper uariae, profundaeque doctrinae copiam sumas. In hoc itaque non magis genus scribendi elegans, et egregium, quam cum permulta doctrinae non uulgaris capita, tum uel maxime iudicium de ciuilibus rebus limatissimum admirere. Atque his praecipue argumentis epistolas* Schurzfleischii *cum ueterum epistolis componas, quippe quod Polyhistor ille unus, ac primus esse uideatur, qui cum cuiuscunque alius, tum praecipue*

Ciui-

Ciuilis, perinde ac Historici, id est, noui propemodum, et insitati argumenti literas exararit. At enimuero laudes huiusmodi cumulare nolim, cum quod utrique immortalis famae Viri nostrates sint: tum, quod alter etiamnum in uiuis sit, ac de literis magis magisque indies mereatur. Hoc unum addam potius, ac repetam, epistolam ratione materiae simplicem esse aliam: aliam mixtam. Ac illa unius; haec uero uarii, multiplicisque est argumenti. Porro utraque ratione causae, ad scribendum inducentis, sic uidetur posse diuidi, ut alia libera, alia responsoria salutetur. Libera, si arbitrio nostro, si sponte nostra; responsoria, si, uelut necessitate quadam, ac siue lege humanitatis, siue obseruantiae causa inducti, scriptionem suscipiamus.

PARS PRIMA,
COMPLEXA INDICEM EPISTOLARVM GENERIS DELIBERATIVI.
CAPVT I, De EPISTOLIS PETITORIIS.
EPISTOLAE SIMPLICES.
LIBERAE.

CICERO ad famil. L. III, ep. 2, Petitoria prouinciae commodissimae; 3, Petit. prouinciae militibus

tibus non deminuendae. L. V, 4, Petit. auxilii in exilio; 12, Petit. monumenti historici. VI, 17, Petit. defensionis. VII, 29, Petit. literarum Commendatitiarum. IX, 1, Inuitat. ad accessum. XV, 10. Pet. supplicationis; 13, item. XV, 26, Pet. literarum.

PLINIVS, L. I, 4, Inuitat. ad praedia; II, Pet. ut liber publicandus emendetur. II, 5, Pet. emendationis orationis habitae. III, 6, ut ponatur signum aeneum in templo Iouis; 10, Pet. censurae libelli publicandi; 13, Pet. censurae orationis panegyricae. V, 13, Pet. censurae orationis; 19, Pet. commodandae uillae pro liberto aegroto. VI, 1, Pet. aduentus. 6, item. VII, 33, Pet. inseri alterius historiis. VIII, 19, Pet. censurae libri. IX, 33, Pet. marmoris. X, 8, Pet. honorum; 24. Pet. commeatus itinerarii; 42, Pet. constituendi collegii fabrum propter incendium, Nicomediae ortum. 46, Pet. aquilegis, uel architecti; 50, Pet. ut lacum in mare deducere liceat; 78. Petit. ut mittatur SCtum; 85. Pet. sententiae iudicialis.

BVCHNERVS, Part. I, ep. 67, 68, 75, 136, 148, 161, 170, 171, 195, 199. Part. II, ep. 45, 127, 128.

SCHVRZFLEISCHIVS, ep. 1, 154, 157, 158, 167, *246.* 248, 404, 542. *555.*

RESPONSORIAE.

CICERO ad fam. IV, 2, Responsio dubia ad Pet. consilii in turbido rerum statu. VI, 5, Respons. hortatoria ad bonam spem. IX, 19, Respons. iocosa expostulatoria ad Pet. aduentus. X, 2, Respons. abnuens ad

Pet.

Pet. XI, 6. Respons. annuens ad Pet. XII, 20, Respons. iocosa ad Respons. ad Inuitat.

Plinivs, I, 7, Respons. annuens, nolle nos aliquod facere. 14, Respons. suasoria ad Pet. ut fratris filiae maritus prospiciatur. II, 19, Respons. annuens de recitanda oratione. III, 8, Respons. annuens de tribunatu militari, in alium transferendo. 12, Respons. ann. ad Inuit. ad coenam. IV, 1, Respons. ann. ad Pet. aduentus. 15, Respons. annuens ad Pet. censurae uersuum; 26, Respons. annuens ad Pet. de emendandis libris. V, 14, Respons. annuens ad Pet. nunciationis. VI, 14. Respons. ann. ad Inuitat. in praedium. VI, 16, Respons. annuens ad Pet. curriculi uitae. VII, 2, Respons. ann. ad Pet. scriptorum. VIII, 7, Respons. ann. ad Pet. censurae libri missi. IX, 18, Respons. promittens ad Pet. libellorum; 35, Respons. ann. et promittens censuram libri. X, 25, Respons. ann. ad Pet. commeatus itinerarii; 43, Respons. abnuens ad Pet. collegii fabrorum; 51, Respons. ann. ad Pet. ut lacus in mare deducatur.

Bvchnervs, P. I, 8, 140, 141, 164. P. II, 3, 34, 90, 109. 129, 130.

Schvrzfleischivs, ep. 97, R. ann. ad Pet. censurae; 114, R. ann. ad Pet. consilii; 118, item; 120. R. ad Pet. rei, et consilii; 131, R. censoria ad Pet. censurae; 285, R. abn. ad Pet. coniungendi studii, et operae; 327, R. censor. ad Pet. censurae; 418, R. ann. ad Pet. consilii; 440, R. ann. ad Pet. commend. et informationis 497, R. laudat. ad Pet. censurae; 500, R. ann. ad Pet. monitorum; 551, R. ann. ad Pet. consilii; 578, R. ann. ad Pet. informationis; 587, item.

EPI-

EPISTOLAE MIXTAE.

LIBERAE.

CICERO ad fam. V, 9, mixta ex Pet. defenſionis, et ex Nunciatoria.

BVCHNERVS, P. I, 155, mixta ex Pet. et Nunc. 182, mixta ex Pet. Hort. Nunc. Pet. Nunc. P. II, 119, mixta ex Pet. et Critica.

SCHVRZFLEISCHIVS, ep. 8, mixta ex Petitoria, et Politica; 39, M. ex Pet. duplici, et Commendatitia; 457, M. ex Pet. cenſurae, et ex Nuuc.

RESPONSORIAE.

CICERO ad fam. II, 11, mixta ex Querula de abſentia ſui, et ex Reſponſ. ad Pet. XII, 25, Reſponſ. Nunciatoria ad mixtam ex Pet. Excuſ. et Commendat.

PLINIVS, II, 8, mixta ex annuente ad Pet. libri, et ex Excuſat. VI, 23, mixta ex Reſponſ. ann. ad Pet. actionis foreuſis, et ex Pet. adiungendi ſocii.

BVCHNERVS, P. I, 29, mixta ex Nunc. et ex Reſponſ. ad Pet. 43, mixta ex Reſponſ. ad duas Pet. et ex Euchar. ad Conſolator. mixtam cum Officioſa; 74, mixta ex Pet. Monit. Nunc. Suaſ. et Nunc. 100, Reſponſ. ad mixtam ex Pet. et Munerar. ſtrenae; 127, mixta ex Reſponſ. ad Pet. cenſurae, ex Votiua, et ex Nunc. 128, mixta ex Pet. et Nunc. 142, mixta ex Reſponſ. ad Pet. ex Euchar. et ex Sciſcitat. 144, Reſponſ. ad mixtam ex Pet. et Nunc. 159, mixta ex Nunc. Gratulat. ex Reſponſ. ad Pet. et ex Nunc. 195, mixta ex Reſponſ. ad Pet. ex Nunc. Suaſor. Critica. P. II, 63, mixta ex Reſponſ. ad Pet. et ex Munerar. 102, Reſponſ. ad Pet. mixtam ex Nunc. Cenſor. Nunc. et Re-

prehensor. 103, mixta ex Pet. et Nunc. 116, Responf. mixta ex Responf. ad mixtam ex Pet. et Scisc. et ex Scisc.

Schurzfleischius, ep. 12, mixta ex Nunciat. Familiari, et responsione ann. ad Petitoriam; 27, M. ex Laudat. R. ann. ad Pet. Sciscit. Excusat. Pet. Politic. 49, M. ex Excuf. Critica, et R. ann. ad Pet. 66, M. ex R. censoria ad Pet. et ex Nunc. 71, M. ex R. ann. ad Pet. ex Gratul. et Pet. 95, M. ex Excuf. R. ann. ad M. ex Pet. et Sciscit. 98, M. ex R. ad Pet. consilii, ex Polit. et Nunc. 106, M. ex R. nunc. ad Pet. commendationis, et ex Monit. 110, M. ex R. ann. ad Pet. et ex Nunc. 130, M. ex R. ad M. ex Pet. consilii, et Sciscitatoria, et ex Pet. et Nunc. 132, M. ex R. abn. ad Pet. Commendatitiae muneris, et Nunc. 143, M. ex R. ad M. ex Pet. commendationis, et Valedict. 219, M. ex R. ad M. ex Pet. institutoris, et Pet. informationis, et ex Pet. 143, M. ex R. partim eucharistica, partim nunciatoria, ad M. ex annuente Petitoriae, et Dante negotium, et ex Hort. 273, R. partim ciuilis, partim annuens, partim censoria, ad M. ex annuente Petitoriae, patrocinii, Dante negotium, et Sciscit. 293, M. ex R. ann. ad Pet. et ex Expostul. 312, R. partim ad M. ex Pet. commendationis, et informationis, et ex Nunc. partim politica; 329, M. ex R. ann. ad Pet. ex Pet. et Nunc. 353, M. ex R. ann. ad Pet. et ex Nunc. 359, M. ex R. ann. ad Pet. informationis, et ex Nunc. 372, M. ex R. Pet. ad Pet. ex Gratul. et Nunc. 402, M. partim ex R. ad M. ex Pet. Nunc. et Fam. partim ex Famil. Pet. Muner. Nunc. et Dante negot. 422, M. ex Offic. ex R. ann. ad Pet. com-

commodati, et ex Nunc. 429, M. ex Polit. et ex R. ann. ad Pet. 430, M. ex R. ad Pet. informationis, ex Nunc. et Famil. 439. M. ex R. eucharistica ad annuentem Petitoriae, et ex Nunc. 441, M. ex R. abn. ad Pet. ex Famil. Laud. Dante negot. et Commendat. 486, M. ex R. ann. ad Pet. informationis, et ex Nunc. 505, item; 508, M. ex R. eucharist. ad ann. Petitoriae, et ex Strena; 516, M. ex R. ann. ad Pet. et ex Dante negot. 569, M. ex R. ad M. ex ann. Petitoriae, et Commonitoria, et ex Nunc. 577, M. ex Obsequiosa, et ex R. ann. ad Pet. informationis; 580, M. ex R. ann. ad Pet. informationis, et ex Gratulat.

CAPUT II,
DE
EPISTOLIS SUPPLICIBUS.
EPISTOLAE SIMPLICES.
LIBERAE.

BUCHNERUS, P. I, 183. II, 40.

CAPUT III,
DE
EPISTOLIS COMMONITORIIS.
EPISTOLA SIMPLEX.
LIBERA.

BUCHNERUS, P. II, 58.

EPISTOLAE MIXTAE.

LIBERAE.

Cicero ad fam. IX,8, M. ex Commonitor. Munerar. Nunc. et Gratulat.

Schvrzfleischivs, ep. 212, M. ex Commonitor. et Censor. 303, M. ex Commonit. et Dant. neg.

RESPONSORIA.

Bvchnervs, P. I,33, Respons. M. ex Excus. et ex Respons. ad M. ex Commonit. et Pet.

Schvrzfleischivs, 245, M. ex R. excusat. ad Commonitor. et ex Nunc.

CAPVT IV,

De

EPISTOLIS MONITORIIS.

EPISTOLAE SIMPLICES.

LIBERAE.

Cicero ad fam. V,19, Monit. ad sequendas Pompeii partes. VII, 6. Monit. ad patientiam in mutato reip. statu. X, 6. de mutando pacis consilio. XI, 7. Monit. ad salutem populi Rom. conseruandam; 9, Monit. ad prospiciendum, ne hostes reip. post illatam cladem inualescant.

Plinivs, I, 6, Monit. ad studendum in syluis. II, 6. Monit. ad frugalitatem. III, 3, Monit. ut iuuenis rhetori tradatur. IV, 29, Monit. ad aduentum in curiam. VI, 22, Monit. ne fides nimia amicis habeatur. 29, Monit. quae causae sint orandae. VII, 9, Monit. de ratione studiorum; 17, Monit. de recitandis oratio-

orationibus, et emendandis ſcriptis. VIII, 2, Monit. ne alter conſuetudinem conuiciantium imitetur; 24, ut alter molliter, humaniterque homines tractet. IX, 12, Monit. ad lenitatem erga filium.

SCHVRZFLEISCHIVS, ep. 339.

RESPONSORIAE.

PLINIVS, II, 16, R. abnuens ad Monitoriam, ut codicilli Attiliani, teſtamento non confirmati, irriti ſint. VII, 21, R. ad Monit. ut oculorum infirmitati conſulatur.

MIXTAE.

LIBERA.

CICERO ad fam. XIV, 14, M. ex Monit. et Nunc.

RESPONSORIA.

CICERO ad fam. X, 7, M. ex R. ad Monit. 6, libri eiusdem, et ex Pet. ornandae dignitatis.

CAPVT V,

DE

EPISTOLIS HORTATORIIS.

EPISTOLAE SIMPLICES.

LIBERAE.

CICERO, ad fam. VI, 6, Hort. ad bene ſperandum in publica calamitate. XVI, 4, ad curandam ualetudinem.

PLINIVS, I, 3, Hort. ad ſcribendum libros; 9. ad ſeceſſum; 16, ad legendum ſcripta alterius. II, 3, Hort. ad audiendum Iſaeum, uirum eloquentiſſimum; 4, ad hereditatem adeundam; 10, ad eden-

dos uersus. IV, 16. ad studium literarum. V, 10, ad scribendos porro uersus; 11, ad edendum scripta; 16, ad molliter consolandum alterum propter obitum filiae. VII, 8, ad constantem erga alterum amicitiam. VIII, 4, ad scribendum bellum Dacicum. IX, 1, ad edendos libros; 14, item. X, 47, ad opus aquaeductus.

Bvchnervs, P. I, 37.

Schvrzfleischivs, ep. 501.

RESPONSORIAE.

Cicero, ad fam. X, 4, R. euchar. ad Exhortat. ad defensionem reip.

Schvrzfleischivs, ep. 560.

MIXTAE.

LIBERAE.

Cicero ad fam. XII, 5, Mixta ex Hort. et Nunc. 24, M. ex Hort. Nunc. et Commend.

Bvchnervs, P. I, 32, M. ex Hort. et Nunc.

RESPONSORIAE.

Cicero ad fam. X, 5, R. M. ex R. ad annuentem ad Hort. et ex Hort.

Bvchnervs, P. I, 68, R. M. ex Hort. et Monit.

CAPVT VI, De EPISTOLIS DEHORTATORIIS.

EPISTOLA SIMPLEX.

LIBE-

LIBERA.

CICERO, ad fam. VII, 12, Iocosa dehortatoria a secta Epicuraea.

CAPVT VII,

DE

EPISTOLIS SVASORIIS.

EPISTOLAE SIMPLICES.

LIBERAE.

CICERO ad fam. IV, 7, Suasor. petitionis ueniae, itemque reditus; 8, Suas. reditus; 9, item; 10, item. V, 14, item.

PLINIVS, I, 18. Suas. actionis forensis. VII, 3, Suas. reditus a secessu.

BVCHNERVS, P. I, 49.

RESPONSORIAE.

CICERO, ad fam. IV, 11, R. ann. ad Suas. reditus, IX, 9, Suas. uel coniunctionis cum certis partibus, uel quietis.

PLINIVS, V, 8. R. ann. ad Suas. scribendae historiae.

MIXTAE.

LIBERAE.

CICERO ad fam. VII, 11, M. iocosa ex Suas. et Dissuas. VIII, 7, Iocosa M. ex Suasoria reditus, et ex Nunc.

RESPONSORIA.

SCHVRZFLEISCHIVS, 458, R. ad M. ex Suas. Fam. Polit. et Pet. intercesſionis.

CAPVT IIX,
De
EPISTOLIS DISSVASORIIS.
EPISTOLAE SIMPLICES.
LIBERAE.

Cicero ad fam. II, 3, Dissuas. a dandis muneribus in patris funere. VII, 20, Dissuas. possessionum. VIII, 16, Dissuas. partium infelicium.

RESPONSORIA.

Cicero ad fam. II, 16, R. ad VIII, 16, quae est Dissuas. partium infelicium.

MIXTA.
RESPONSORIA.

Plinius, V, 6, M. ex R. ad Dissuas. itineris, et ex Laudat. prolixa uillae.

CAPVT IX,
De
EPISTOLIS COMMVNICATORIIS.
EPISTOLAE SIMPLICES.
LIBERAE.

Plinius, III, 9, Communicat. de emendis praediis. IX, 34, Communic. an in recitatione uersuum adhibendus sit libertus. X, 30, utrum custodiae per seruos publicos, an uero per milites asseruandae; 36, de relinquendis alteri militibus; 38, de poena, duobus seruis irroganda; 40, de seruis, in poenas damnatis; 48, de theatro imperfecto, et Gymnasio, per incen-

cendium consumpto, reparandis, aut destruendis; 52, de minuendis pecuniis legatorum; 54, de ratione diplomatum; 56, de cognoscendis publicis loci rationibus; 58, de aede transferenda; 62, de credendis pro minore usura pecuniis publicis; 64, de exulibus relegatis, et rursum in prouincia deprehensis; 64, de poena, Philosopho irroganda; 71, de liberis natis, et expositis, deinde sublatis, et in seruitute educatis; 73, de reliquiis mortuorum transferendis; 75, an, reperto loco idoneo, liceat ibi balneum extruere; 77, de restituendis liberis seruientibus; 79, de usu pecuniae, Imperatori ab aliquo legatae; 83, an liceat senatores legere ab annis duobus, et uiginti? 91, de aqua deducenda ad destitutos aqua; 97, de puniendis Christianis; 99, de aqua insalubri contegenda; 109, de iure permittendo potiori aliis in exigendis debitis; 111, de repetenda pecunia, alicui contra ius donata; 113, an noui senatores debeant aliquid inferre pro introitu? 115, an decuriones ciuitatum aliarum eiici debeant? 117, de abroganda inuitatione multorum ad solennia officia; 119, de praemiis, athletis petito tempore distribuendis.

BVCHNERVS, P.II, 39.

SCHVRZFLEISCHIVS, ep. 155.

RESPONSORIAE.

CICERO ad fam. II, 18, R. Suas. ad Communic. de praeficiendo prouinciae legato. IX, 5, R. probatoria diei conuentus. XIV, 18, R. dubitatoria ad consultatoriam.

PLINIVS, I, 23, R. ad Communic. utrum in tribuna-

tu causae orari debeant. X, 31, R. seruandam esse antiquam consuetudinem, ad 30, X. X, 37, R. ad 36, L. eiusdem; 39, R. ad 38; 41, R. ad 40; 49, R. ad 48; 53, R. ad 52; 55, R. promissoria diplomatum nouorum, ad 54; 57, R. consulens ad 56; 59, R. annuens ad 58; 63, R. ad 62; 65, R. ad 64, differens sententiam; 68, R. absolutoria poenae, alicui erogandae, ad 66, et 77; 72, R. ad 71, nulli libertatem esse adimendam; 74, R. ad 73, permittens, transferri reliquias; 76, R. annuens ad 75; 78, R. petens missionem SCti, ad 77; 80, R. dubia ad 79; 84, R. ann. ad 83; 86, R. absolutoria ab insimulatione criminis laesae maiestatis, ad Communic. de re eadem; 92, R. ann. ad 91; 100, R. ann. pro confornicanda aqua; 110, R. dubia ad 109; 112, R. abnuens ad 111; 114, R. de seruanda loci consuetudine, ad 113; 116, partim ann. partim abn. ad 115; 118, neque ann. neque abn. ad 117; 120, abn. ad 119.

Schvrzfleischivs, ep. 181, R. ad Communic. 189, 235, 262, 275, 309, 319, 387, 395.

MIXTAE.

LIBERAE.

Bvchnervs, P. II, 71, M. ex Communic. Euchar. Communic. Inuect. et Euchar. 72, mire confusaneor.

RESPONSORIAE.

Cicero ad fam. VI, 8, M. ex Nunc. et R. ad Communic. VIII, 7, M. ex Monit. et Nunc. IX, 18, R. M. ex R. ad duas epistolas responsorias ad Communicatoriam, et ex Suas. reditus.

Bvchnervs, P. I, 45. R. ad M. ex Communic. et

et Pet. 72, M. ex R. ad Communic. ex Suaſ. et Pet. conſilii; 113, M. ex R. ad Communic. ex Excuſat. ſilentii, ex Nunc. Munerar. et Commend. iuuenis ſtudioſi; 121, M. ex R. ad M. ex Communic. Sciſc. Nunc. et ex Nunc.

SCHVRZFLEISCHIVS, ep. 161, M. ex Nunc. et R. ad Communic. 249, M. ex Cenſor. R. ad Communic. Fam. Pet. commodati, Offic. Fam. Pet. commodati. 279, M. ex R. abn. ad Communic. et ex Nunc. 558, M. ex R. ad M. ex Communic. Fam. Sciſc. et ex Pet. et Fam.

CAPVT X, DE EPISTOLIS CONCILIATORIIS.

EPISTOLAE SIMPLICES.

LIBERAE.

BVCHNERVS, P. II, 85, 88.
SCHVRZFLEISCHIVS, ep. 512, 533.

RESPONSORIA.

BVCHNERVS, P. II, 122.

MIXTAE.

LIBERAE.

BVCHNERVS, P. II, 57, M. ex Concil. et Pet.

RESPONSORIAE.

BVCHNERVS, P. I, 162.
SCHVRZFLEISCHIVS, ep. 280, M. ex R. ciuili ad M. ex Conciliat. et Muner. ex Commend. et Muner. 292, R. ad M. ex R. ad duas Conciliatorias, et ex

R.

R. ad Scisc. 449, M. ex R. Fam. ad R. ad Concil. ex Fam. et Nunc. 554, M. ex R. ad M. ex Concil. Commend. et Pet. et ex Condol.

CAPVT XI,

De

EPISTOLIS COMMENDATITIIS.

EPISTOLAE SIMPLICES.

LIBERAE.

Cicero ad fam. I, 3; II, 6, 14; VI, 5, 21; IX, 13; XI, 16, 17, 22; XII, 21, 26, 27, 29; XIII, 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9, 10, 11, 12, 13, 14, 15, 16, 17, 18, 19, 20, 21, 22, 23, 24, 25, 26, 27, 28, 29, 30, 31, 32, 33, 34, 35, 36, 37, 38, 39, 40, 41, 42, 43, 44, 45, 46, 47, 48, 49, 50, 51, 52, 53, 54, 55, 56, 57, 58, 59, 60, 61, 62, 63, 64, 65, 66, 67, 68, 69, 70, 71, 72, 73, 74, 75, 76, 77, 78, 79.

Plinius, I, 17; II, 9, 13; III, 2; IV, 4, Commendat. in parte conferendi tribunatus, 12, 15; VI, 8, Commendat. in parte procurandi a tertio debiti; 32, Commend. muneraria dotis; VII, 16, 22, 31; X, 3, ut aliquis recipiatur in ordinem senatorium; 5, pro conferendo iure ciuitatis; 6, item; 7, pro conferenda praetura; 11, 16, Commendat. muneraria serui; 17, Commendat. liberti; 18, praefecti orae Ponticae; 16, amici; 22, pro conferenda ciuitate; 95, pro conferendo iure trium liberorum; 105, pro impetrando iure Quiritium pro tribus libertis. Huc perti-

pertinet epistola Domitiani Commendatitia, quae sequitur epistolam 66, L. X.

BVCHNERVS, P. I, 23, 27, 73, 79, 85, obliqua; 86, item; 87, 89, 91, 102, 105, 132, 174, 184, 188, 189, 190. P. II, 19, 35, 42, 43, 62, 79, 126, obliqua; 131, 146, 156, 157, 158, 159. 160, 161, 162, 163, 164, 165.

SCHVRZFLEISCHIVS, ep. 103, 150, Muneraria; 151, 168, 247, 248, 277, 297, 331, 408, 411, 480, 572, 573.

RESPONSORIAE.

PLINIVS, IV, 17; VI, 9, 12, quae est annuens ad duas Commendatorias; 18, quae ad unam. VII, 14, quae est repudiatoria muneris. X, 23, quae est annuens in conferenda ciuitate; 96, quae respondet ep. 95.

BVCHNERVS, P. I, 28, 81, 88, Boxhornii; 90, Heinsii; 95, 96, 99, 133, 135, 137, 139, 147, quae est responsio familiaris ad Munerariam; 173. P. II, 6, 48, 125, quae est responsio Nunc. ad Commendat.

SCHVRZFLEISCHIVS, ep. 104, R. ad Munerariam; 172, item.

MIXTAE.

LIBERAE.

CICERO ad fam. XII, 6, M. ex Commend. et Nunc.

PLINIVS, X, 4, M. ex Commend. pro conferenda ciuitate Romana, et ex Obsequiosa pro conferendo iure Quiritium.

BVCHNERVS, P. I, 94, M. ex Muneraria, et Pet. metrica;

metrica; 110, M. ex Commend. et Nunc. P. II, 20, M. ex Commend. Nunc. et Munérar.

Schvrzfleischivs, ep. 59, M. ex Muner. et Hist. 67, M. ex Muner. et Nunc. 124, M. ex R. ad M. ex Commend. et Polit. et ex Nunc. 127, M. ex Commend. et Nunc. 128, M. ex R. ad M. ex Muner. et Pet. et ex Muner. atque Nunc. 159, M. ex Commend. et Nunc. 165, M. ex Commend. Pet. et Nunc. 182, R. ad M. ex Muner. et Pet. censurae; 253, M. ex Muner. Euch. et Nunc. 259, M. ex Muner. Offic. et Monst. 263, M. ex Commend. et Nunc. 276, M. ex Muner. et Nunc. 282, M. ex Commend. et Condol. 322, M. ex Commend. Fam. et Nunc. 344, M. ex Commend. et Pet. 347, M. ex Muner. Fam. et Nunc. 413, M. ex Commend. et Nunc. 423, M. ex Commend. et Nunc. 463, M. ex Commend. et Nunc. 552, M. ex Muner. et Pet.

RESPONSORIAE.

Cicero ad fam. IX, 20, R. M. ex R. iocosa Lamentat. et iocosa Monitor. ad iocosam Munerar. et ex iocosa Nunc. uaria; 24, R. M. ex R. ad M. ex Commendat. et Nunc. et ex Nunc. XV, 14, M. ex R. ann. ad Commend. et ex Nunc. et Pet.

Bvchnervs, P. I, 9, M. ex Euchar. et Nunc. 13, M. ex Nunc. Famil. et Nunc. ad Munerariam; 51, R. ad M. ex Munerar. et Petit; 53, M. ex R. ad Commend. et ex Nunc. duplici; 58, M. ex R. ad Munerar. ex Petit. et Nunc. 80, R. M. ex Euchar. Censor. et Munerar. 112, R. ad M. ex Munerar. et Mandator. 146, R. M. ex Laudat. Hortat. Sciscit. ad Munerar. 151, R. ad

R. ad M. ex Munerar. et Mandat. 152. M. ex R. ad M. ex Munerar. et Nunc. et ex Sciscit. Nunc. Sciscit. Nunc. 154, M. ex R. ad M. ex Munerar. et Petit. et ex Pet. et Nunc. 157, M. ex R. ad Munerar. ex Nunc. Pet. Nunc. Pet. P. II, 54, M. ex R. ad Munerar. et ex Defensor. 97, R. M. ex R. ad Munerar. ex Euchar. et Nunc. 104, R. ad Munerar. M. ex Euchar. et Pet. 115. R. M. ex R. ad Munerar. ex Sciscit. et Nunc.

SCHVRZFLEISCHIVS, ep. 19, R. ad M. ex Munerar. et Famil. 21, R. M. ex Euchar. et Muner. ad Muner. 185, M. ex R. excusat. ad Muner. et ex Nunc. 186, M. ex R. euchar. ad Muner. et ex Hist. 192, M. ex R. euchar. ad Muner. ex Dant. neg. et Fam. 213, M. ex R. ann. ad Commendat. ex Fam. Dant. neg. et Nunc. 215, M. ex R. ad Commend. et ex Nunc. 258, M. ex Excus. silentii, ex R. euch. ad Muner. ex Nunc. et Commend. 260, M. ex R. euch. ad Muner. ex Fam. Common. Fam. et Pet. 267, M. ex R. euch. ad Muner. et ex Nunc. 272, M. ex R. ann. ad Commend. ex Commend. et Muner. 291, R. ad M. ex Commend. et Dant. neg. 296, M. ex R. ad M. ex ann. ad Commend. et Pet. et ex Nunc. 301, M. ex Gratul. ex R. ad M. ex Euch. et Pet. et ex Nunc. 317, M. ex R. euch. ad Muner. et ex Nunc. 324, M. ex R. euch. ad Muner. Pet. et Dant. neg. 335, M. ex R. ad M. ex Muner. et Commendat. et ex Commendat. 358, M. ex R. euch. ad R. ann. ad Commend. et ex Nunc. 371, M. ex Excus. silent. et ex R. ad M. ex Muner. et Nunc. 424, M. ex R. defensor. ad Nunc. et ex Nunc. 431, R. ad M. ex Nunc. et ex Pet. consilii. 462, M. ex R.

ad

